IANI NICII ERYTHRÆI

EPISTOLARVM AD TYRRHENVM

TOMVS POSTERIOR.



COLONIÆ VBIORVM,
Apud IODOCVM KALCOVIVM
& Socios, CIↃ IↃC XLIX.

Videat lucem & alter hic tomus Epiſtolarum ad Tyrrhenum, expleatque legentium animos. Colon. Kal. Sept. M DC XLVIII.

Henricus Francken Sierſtorpffius, SS. Theol. Doctor, librorum Cenſor.

T Y R R H E N O

Viro Clariſſimo

E R Y T H R Æ V S

S. P. D.

I.

PRodigioſi calores, quibus Vrbs uritur, inflammatur, incenditur, inexplebilem, id quod neceſſe erat, ſecum ſitim attulerunt. omnibus foris, viis, angiportis, præter œnopolia, innumeræ tabernæ, nivatam aquam, ex vario florum, frondium, aliarumque rerum genere elaboratam, vendentium, patent: multitudini emtorum obſiſti non poteſt, qui ſitim levatum eunt: ſed vix uno ſe hauſtu recrearunt, cum habent neceſſe, ad alium recurrere; nempe flammis, quas pro anima de cælo ducimus, quidquid humoris in ventrem illabitur, ſtatim exſugentibus exſiccantibuſque. Ego, ſi me, ut pleraque pars hominum, ſiti permitterem, ab aurora uſque ad veſperam diem potando conſumerem; cumque à cupiditate iſta acrius impelli inflammarique me ſentio, jurarem poſſe, quemcunque, ex iſtis regionibus ubi potatores maximi eſſe dicuntur, quantumvis merobibum atque multibibum, vincere. quamquam, ſi pro Ilio, ut veteres loquebantur, ſit potandum, quid mihi adverſarios ex penitiſſima Germania quæram, cum hîc in Italia meliores bellatores, cantharo, inveniantur quam in Germania? Factum eſt ſæpius ejus rei periculum, noſtra patrumque memoria; ſed egregium Italæ virtutis exemplum eſt editum (ſi tamen eſt virtus, plurimum vini, uno hauſtu, in ventrem, vel in barathrum potius, effundere) Gregorio XIII Pont. Max. quo tempore Romam venerat, Princeps Clivienſis, ſecumque ex Germania paraſitum adduxerat, qui gloriabatur, ſe poſſe ſolum unius anni vindemiam ebibere. dabat, die

quodam, huic viro principi cœnam Iacobus Boncompagnus, Soræ Dux; ad quam cœnam Princeps paraſitum illum ſuum adduxerat, ut, miraculi gratia, convivæ, uno eum impetu magnam vini vim in ſe ingurgitantem aſpicerent. cui Dux Soræ Iacobus, Habeo, inquit, alterum, quem tuo huic poſſim opponere, nullum potatoris cujuſpiam, quantumvis maximi, impetum metuentem; ac mox tibi ſiſtam, ſi juſſeris. hic erat Fabricius quidam Caroſius, ſaltator in primis, qui non multos ante annos, ad Cocyti flumen, ſitim ſedaturus, exceſſit. Summa igitur Principis illius voluntate, qui non alio magis ſpectaculo delectabatur, accerſitur Fabricius, commodum, cum jam cœnatus vellet cubitum ire; ac, majorem aliquam eſſe cauſam, quamobrem id noctis vocaretur, exiſtimans, accurrit. quem ubi Dux Soræ aſpexit, Hujus tibi Germani, ait, audacia comprimenda eſt, qui ſolus ſe potoribus omnibus palmam præripuiſſe gloriatur. quo audito Fabricius exhorruit, atque, Occidis, ait, tu me, cum ſaturum ac plus potum, cum iſto jejuno ſiccoque componis; nunquam tam iniqua conditione huic me certamini pugnæque committam. Nihil agis, Dux Soræ inquit; velis nolis, hæc tibi pugna depugnanda eſt; neque committendum, ut à peregrino homine tam inſignis tibi aliiſque, qui ex ebrietate præmium quæritis, nota inuratur. Fabricius, poſtquam videt, ſe jus ſuum obtinere non poſſe, Cedo mihi, ait, hunc terræ filium, tam immanem, tam avidum, qui matris ſuæ ſanguinem (nam, terræ ſanguinis nomine, Androcydes vinum appellabat) totum exſorbere ſe poſſe confidit. ſibique in conſpectum adducto, Tune, homo ignaviſſime, inquit, tantum de te polliceri audes? quid verbis mihi moram creo? præſto ſint calices, adſit vinum, non unum è multis, ſed ſingulare, ſed omnium optimum ac præſtantiſſimum; alia enim conditione non committam hos ludos. cumque afferrentur cyathi & pateræ, paulo uſitatis grandiores, recuſavit. & quid? putatiſne, ait, luſciniolis, in caveam incluſis, aqnulam afferri? Erat ibi poſitum argenteum vas grande, quod capiebat congium, hoc eſt, ſextarios ſex; id ille complevit, ac principi viro, cui cœna dabatur, bene precatus, nihil in hauriendo reſpirans, totum fide optima duxit,

duxit. at Germanus, vas rurſus impletum, non celeri neque uno ac perpetuo ductu, ſed placide, ſed interrupte, ac ſæpius exſpuens, in ſe illud invertit, atque etiam aliquid, ad elidendum in pavimentis ſonum, ex vino reliquit. Tum Fabricius, Hæc, inquit, fuit tanquam levis quædam excurſio ac velitatio; nunc omnibus copiis eſt depugnandum; arreptumque vas atque completum, invocato honoris gratia, Ducis Soræ nomine, non minore quam antea animo, illud inane, uno ſpiritu, reddidit. Quod Germanus intuens, plane vehementer exhorruit; jamque ſibi, non cum ventre hominis, ſed cum cloaca, cum profundo, cum barathro, rem eſſe exiſtimavit; ac ſe libenter certamini ſubduxiſſet; ſed, domini imperium & iracundiam reverens, qui torve in ipſum intuebatur, loco cedere non eſt auſus. itaque vas labris admovere, &, tanquam medicata aliqua potio, & ingrata guſtatui, eſſet deglutienda, os diſtorquere, interdum ſubſiſtere; modo vas ori applicare, modo illud ab eo repellere; ac, ne longior ſim in ſcribendo, quam fuit ille in bibendo, cum mediam circiter horam in illo bibendi labore verſatus eſſet, vix tandem ſe ab eo expedivit. jamque periculis omnibus, opinione ſua, defunctus, cogitabat aliquo ſe conferre, ibique, quod ebiberat villi, edormiſcere; ſed Fabricius, Nugas, inquit, agis, mi homo; itane Gregorii XIII ſalus & incolumitas, unde noſtra dependet, vilis eſt tibi, ut nolis, alio hauſtu, eam illi à Deo longam perpetuamque precari? ego nunquam tam iniquum, adverſus tam bonum Principem, animum geram. eademque opera id congiale poculum, apprehenſum, tertio, admirabili virtute, fecit plenum atque inane. Tum vero Germanus, funditus ſe eſſe perditum, duxit; ac paraſiticæ arti millies maledixit; cuperetque aliqua evolare, ſi poſſet; ſed erant omnes, ad exeundum, aditus obſepti atque intercluſi. quamobrem coactus ingratiis bibere, vix tertiam vini illius partem gutturi dedit, cum exanimis concidit. atque hunc ille plurimarum palmarum, vetus ac nobilis potator, exitum habuit, à Fabricio, Italo homine, ſuperatus; qui inde pedem, victor, magna cum laude reflexit; neque, in circulis, atque conventibus amicorum, frequentius aut lubentius quidquam

commemorabat, quam egregium hoc facinus; quo etiam magnifice ſe efferebat, & omnibus omnis memoriæ potoribus anteferebat. Cujus ego ineptam loquacitatem refutare, præſertim M. Ciceronis, illius eloquentiſſimi filii exemplo, ſolebam, qui binos congios, hoc eſt alterum tantum, ſimul haurire ſolitus erat. At ubi nam ſunt ii qui vinoſos ebrioſoſque minus dici vivere ajunt? Hic Fabricius, ut de Poſthumia Catullus cecinit, ebrioſa acino ebrioſior, nonaginta & eo amplius confecit annos; &, quod mirabilius videatur, ab omnibus illis immunis erat vitiis, quæ ebrietati ſolent accedere; nullus in ore pallor, nullus in oculis ulcus, nullus in manibus tremor, qui plena vaſa diffunderet, non oris fœtidus odor, non ulla memoriæ jactura. Sed domum, hoc eſt, ad ſitim noſtram, de qua ſcribere inſtitueram, revertamur. videor mihi poſſe affirmare, ſi Germani illius paraſiti compotatio in hos calores tam horribiles incidiſſet, nunquam futurum fuiſſe, ut Fabricio, quem diximus, ſuccumberet, nec vitam bibendo profunderet, ſed potuiſſe illum, non unum tantum, ſed tres etiam congios, uno impetu, in ſeſe infundere, ut de Novellio Torquatò Mediolanenſi narratur. At, quonam argumento id mihi fiat veriſimile, audi. conſtat experientia, calorum iſtorum immanitate atque ſævitia, quidquid liquidi in ventrem immittitur, illico ab anima, ſive potius à flamma, ut diximus, quam è cælo ducimus, exſugi exſiccarique. quamobrem docent nos medici, ut frigidulis ſubinde potionibus defendamus inteſtina, ne exurantur. quod medicorum conſilium pleraque pars hominum, dicto illis audiens, ita exſequitur, ut vini aut aquæ liquoribus ſemper os proluat. Quæ cum ita ſint, quis non intelligat, quidquid Germanus ille in ſe vini ingurgitaſſet, continuo ab ardore, quem anni tempus fervidiſſimum in venas inducit, conſumtum, nullam, ad eum opprimendum, vim habiturum? At ego meticuloſus, ac bonæ valetudinis cupidus, hac, ſemper bibendi, poteſtate, mihi à medicis facta, non utor; ſed in prandiis ac cœnis, ad ſitim decipiendam, quæ mihi moleſta eſt, hoc præclarum remedium comparavi; pateram emi, quæ in latitudinem quidem plurimum pateat, ſed quæ alto penitus careat, adeò ut,

ut, quod toto illo ambitu late diffunditur, ſi in unum contrahatur, vix cyathum pauxillulum impleat. quam mihi pateram quum labris, ſiti enectus, admoveo, me ad ingentem quempiam vini lacum eſſe adductum excogito, eumque, invitum, cogi totum ebibere. Quid opus eſt verbis? hæc cogitatio tantam apud me vim habet, ut prius à bibendi cupiditate abalienari me ſentiam, quam pateram totam exhauriam. His ergo contra ſitim fallaciis, do operam, ut me, his calorum moleſtiis, incolumem præſtem. tu viciſſim cura ut valeas. Romæ. prid. Non. Iulii CIↃ IↃ C XLV.

II.

SVmmi illi infeſtiſſimique calores, quibus adhuc conflictati ſumus, paulum ſe remiſerunt; jamque reſpirare, quieſcere, ac ſomnum capere incipimus; jam minus multi ad Tyberim, natandi cauſa, confluunt; jam aures meæ, qui prope Tyberim habito, natantium clamoribus conviciiſque defeſſæ, conquieſcunt; œnopolia, ac nive rigentes aquas vendentium tabernæ, non ita frequenter à potoribus celebrantur. felices, qui potuerunt æſtum ſitimque ſedate perferre, vel ſaltem gelidis potionibus abſtinuerunt. Facile enim lethales morbos, qui multos corripuerunt, effugient, adeo ut nihil, tota Vrbe, frequentius videas, quam, ægrotis ſacroſancta Chriſti Corporis myſteria deferri, vel corpora defunctorum efferri. At vide, quam longe, hæc immoderata frigidæ, vel potius gelidæ, potionis libido proceſſerit, ut excogitarit, oryzam, multa antea nive frigefactam, ebibere, ut, quamvis ſatis, ſua ſponte, refrigerandi facultate prædita, frigoris nivis, quaſi auxiliaribus copiis, ad æſtus repellendos adjuta, majorem vim algoris in venas induceret. quod inventum, ante octo dies, noto cuidam Iuriſconſulto, Iacobo Zonga nomine, infeliciter cecidit; qui à calore, quem intus in viſceribus incluſum geſtabat, excruciatus, ejuſdemque impatiens, auxilium petiit ab oryza, multas horas in nive ſepulta; cujus vas ingens cum in ſe ingurgitaſſet, confeſtim conſecutum eſt alvi profluvium, adeo vehemens atque perenne, ut ſecum id miſero

illi caloris oſori frigus attulerit, quo nullos poſthac ſolis & æſtatis ardores pertimeſcat, nimirum mortem. Gaudeo, orationum mearum numerum convenire, de quarum ordine bis jam aut ter ad Nihuſium ſcripſi, ſimulque epiſtolam miſi, qua eas Epiſcopo Cyrenenſi dicavi. quamobrem, per hanc curam, licebit illi eſſe otioſo. Locorum intervalla, quibus disjungimur, efficiunt, ut minus ſæpe, quam antea, jucundiſſima Cardinalis Capponii ſuavitate uſuque frui poſſimus. nam, à noſtris hiſce regionibus, contulit ſe in hortos Aldobrandinorum, ad balinea Pauli, ut, Pontifici Max. proximus, præſto poſſit illi eſſe in omnibus iis negotiis, quæ ejus fidei commiſerit: non deſumus tamen, interdum, ſalutandi ad eum gratia venire, & tuas ad me literas, quæ vel de pace vel de rebus ad remp. pertinentibus agant, oſtendere. Vale. Romæ, VI Idus Iulii CIↃIↃCXLV.

III.

SI, quoties contra exiſtimationem alicujus venimus, jubemur palinodiam canere, eumque in eum famæ ac dignitatis locum, unde injuria dejecimus, reſtituere; quanto magis debemus eum, quem morte affecimus, ſi fas eſt, in vitam, unde devolvimus, revocare! Hîc tu me ridebis, & inſanire dices, qui exiſtimem, parem atque eandem eſſe rationem exiſtimationis & vitæ, quæ ſi ſemel cuipiam ſit erepta, nemo poteſt reddere niſi Deus. at ego veris vincam rationibus, in mea nunc eſſe poteſtate, eum, quem morti tradiderim, ab ejus imperio vindicare, & in vitam rurſus lucemque reducere. Scripſi ad te, ſuperioribus literis, Iacobum Zongam, Iuriſconſultum hic Romæ non in poſtremis, ſcripſi, inquam, ſecutus vulgi rumores, egelidæ oryzæ hauſtu, horribilem alvi profluvium contraxiſſe, eoque fuiſſe conſumtum; ſed falſo. fuit ille quidem Acherunti proximus, ſed noluit eum Orcus ad ſe recipere, ut eſſet, qui, litibus ferendis fovendiſque, quietis hominibus, & à ſtrepitu fori abhorrentibus, negotium faceſſeret. cum igitur falſum ejus ad te mortis nuncium attuli, nonne quodammodo viſus ſum eum occidere? nunc autem, cum vivere eundem, iiſque,

iiſque, qui litibus alios exercent, advocatum adeſſe, perſcribam; quis me vetat dicere, vitæ, cujus antea, quod in me fuerat, expertem illum feceram, rurſus compotem reddere? Patere, humaniſſime Tyrrhene, paululum me tecum jocari, atque ad depellendas eas moleſtias ac parum hilares cogitationes, quas ſecum exacta fert ætas, his animi remiſſionibus liberaliſſimis uti: ad quas animi remiſſiones eo libentius deſcendo, quo, ut ex tuis literis intelligo, aliquid ſuppeditant tibi, ubi animus, graviſſimis curis oppreſſus, relevetur. Sed, ut jocis ſeria jungamus; nos hic, in magno Turcarum belli metu verſamur, qui maximas copias terra marique comparaſſe dicuntur. Summus Pont. per omnem oram maritimam, quæ ejus ditioni ſubeſt, præſidia diſpoſuit, turreſque munivit, ut, ſi qua illorum navigia ad ea litora conarentur appellere, prohiberentur. verum interim omnes eorum conatus ad Venetorum perniciem ſpectare videntur. nam illorum claſſem prope Cretam inſulam cerni dicunt, eoſque à Ferdinando Cæſare petere, ut, per ſuos fines, equeſtres pedeſtreſque ipſorum copias ire patiatur, nimirum ad Forojulienſes vaſtandos diripiendoſque. ac verendum eſt maxime, ne illa Reſp. ſpretæ eccleſiaſticæ juriſdictionis, & belli, nuper contra ſedem Apoſtolicam ſuſcepti, pœnas luat. Sed, utut Veneti ſunt erga hanc Sedem meriti, non tamen ſunt ab ejus auxiliis deſerendi; quod in eorum damno communis Chriſtianorum pernicies contineatur. atque ſibi non defuerunt, ſed auxilium ab hac Sede petitum advenerunt; at magnopere ab ea juvari non poſſunt, tot viris, proximo bello, amiſſis, tamque ingenti pecunia profuſa. nam, qui rationum redditarum libros inſpexerunt, mihi narrarunt, ſex ſolis poſtremis belli menſibus, undecies decies centena aureorum millia fuiſſe, hoc eſt, ut nunc loquimur, undecim miliones, ſtipendio datos. quamobrem? Deus bone; non ad alium finem, niſi ut pro victoria dedecus ac damnum referretur. itaque ſummus Pont. cum in humanis auxiliis nihil ferme loci eſſe relictum animadvertat, à Deo ea eſſe petenda conſtituit: verum, quo preces noſtræ majorem vim ad impetrandum habeant, edixit, ut, per confeſſionis & Euchariſtiæ Sacramenta, hærentes animis ſordes

eluantur, ac priſtinus eiſdem ſplendor ac decus revocetur. deinde, peccatorum, quæ uſque ad hanc diem perpetraverint, gratiam facit iis, qui, ita præparatis, ut diximus, animis, vel in prima ex tribus hebdomadibus, quibus hujus theſauri conſequendi facultas datur, Conſtantinianam, vel in ſecunda Vaticanam, vel in tertia Liberianam baſilicam, aut die Dominico, aut feria ſecunda aut tertia. (nam ſatis eſt ſemel adiiſſe,) inviſerint, ibique, demiſſis & humilibus Deum precibus exoraverint, ut Turcarum præſertim terra marique conatus impetuſque repellat atque contundat. Card. Capponius Archiepiſcopalis Ravennatis Cathedræ onus, ſuis ab humeris rejectum, in Lucam Turrigianum, ſororis ſuæ filium, & Cameræ Apoſtolicæ Clericum, rejecit. ex quo toti Aulæ patuit, quantum Cardinalis, apud Pont. autoritate & gratia valeat, cum Eccleſiam illam, ita locupletem, ita nobilem, cujus olim Antiſtites, Exarchorum opibus freti, cum Romanis Pontificibus ſunt auſi de dignitate locoque contendere, cuique vix unquam quiſquam, niſi Cardinalis, præfuit, illi, cui ſibi libitum fuerit, reſignare potuerit. itaque, quoniam invidetur præſtanti florentique fortunæ, complures limis eum oculis aſpiciunt, fortunatum judicant, quod florida adhuc ætate (nam trigeſimum ætatis annum vix attigit) ita laute ac luculenter, in omnem vitam, ſibi proſpexerit. at hi ex eorum numero ſunt, qui tantum cogitant, quantum ſub cernendi ſenſum cadit, quæ autem ſunt ab aſpectus judicio remota, ea mentis oculis ſubjicere nequeunt. fulgorem quidem illum, qui extrinſecus ex honoribus iſtis emanat, aſpiciunt, ſed miſerias, labores, ærumnas, pericula, quæ intrinſecus latent, quæque non poſſunt eſſe ſejuncta, non cernunt. at feliciores multo ac ſapientiores putandi ſunt ii, qui potuerunt intelligere, quanto majus ſit, primas iſtas honorum cathedras faſtidire, quam accipere. Vale. Romæ, XV Kal. Auguſti CIↃ IↃ C XLV.

IV.

IAnus Nicius tuus eo implicitus morbo detinetur, unde ſe fortaſſe nunquam expediet. ægritudo, exiguis initiis

initiis orta, paulatim, ut ſolent ea quæ minus timentur, excrevit. nam, ſex ab hinc menſibus, glandula quædam exſtare ac prominere in ſiniſtra mamma cœpit, quæ deinde ad juglandis ſimilitudinem modumque intumuit. at primo cutis colorem non exceſſit, ſed poſtea viſa eſt rubore ſuffundi, poſtremo cruſtam, concreto ex ſanguine conflatam compactamque, obduxit, quæ ſubinde, noctu præſertim, paululum atri cruoris ſponte diffunderet. at eam ego, quia moleſtiæ doloriſque nihil afferret, contemſi; neque fuit conſilium, ad medicorum opem, eorum, inquam, qui ulceribus manu medentur, accurrere; ſed, admonitus ab amicis, quibus cum rem totam communicaveram, gravius illud eſſe malum quam opinio mea ferret, ac proinde antea illi occurrerem quam eas vires, quibus obſiſti non poſſet, acciperet, commotus ſum coactuſque, medicorum operam, quam antea aſpernabar, mercede conducere. quorum alii, nullum eſſe ab ea re metum, ajebant, alii non leve periculum imminere ſignificabant; ſed omnibus idem unum convenit, nullam vim adhibendam, quæ funditus tollere id malum tentaret; nam inutilem hunc conatum, celeris cauſam mortis allaturum; ſed lenibus utendum medicamentis, quæ ulceri ſuperjecta, tanquam illi blandirentur. tum victus rationem, quæ in omnibus morbis neceſſaria eſt, mihi præſcripſerunt; quæ tota his fere præceptis continetur, ut hilari ſolutoque animo ſim, ut à pernis atque ab omni farciminum genere, ut à ſalſis muriaticis, & à caſeo, macheronibus, aliiſque quæ ex ea maſſa conficiuntur, abſtineam, à leguminibus, ut à re peſtifera atque nocenti, refugiam, atque, horum omnium loco, ovis, ac peponibus maxime, quos anni tempus exhibet, utar, quam dilutiſſime bibam; neque mihi curæ ſit, ſanguinem ac ſaniem, ab ulcere defluentem, comprimere, ſed ſinam libere fluere; tum denunciabant, vix unquam me ex hoc morbo convaliturum; ſed addebant, ne videlicet animo debilitarer atque deficerem, non hunc mihi morbum impedimento futurum, quo minus ad ultimam ſenectutem pervenirem. at ſi id, gratiæ cauſa, adjiciebant, profecto errabant, conjectura domeſtica, vel me ex aliorum ingeniis judicabant; qui nulla re adeo ut mortis formidine

metuque

metuque terrentur. ſatis diu naturæ vixi; utinam etiam Deo mihique vixiſſem, nec maximam ætatis meæ partem inanibus hiſce cupiditatibus ſtudiiſque dediſſem, quibus, non prima tantum ætas, verum etiam, corroborata atque confecta, detinetur. ſed facti ſunt ferme anni abhinc triginta, poſtquam ita vitam inſtitutam habeo, ut nullo terrore mortis, quo velis, ut ajunt, remiſque contendimus, quæque, velimus nolimus, eſt omnibus obeunda, corripiar. Quod autem ulcus, intra carnem deſinat, neque longius ſerpat, aut à malo aliquo corporis habitu prodeat, argumento eſt color oris non malus, corpus ſucci plenum, ſomnus plerunque in totam noctem productus, cibi cupiditas atque guſtus, vires, ut ætas mea fert, validæ. Hæc te ſcire volui, ut, quo loco, ſervi tui res ſint, minime lateat. Vale. Romæ, V I Kal. Auguſti CIↃ IↃ C XLV.

V.

SI mihi ſit in animo, Tyrrhene humaniſſime, tecum expoſtulare. quod neque hoc neque ſuperiore tabellario à te quidquam literarum acceperim, non ſolum iniqua verum etiam impudenti expoſtulatione uti videbor. Egone, nauci vix homo, nullius rei, quæ momenti aliquid habeat, occupatione diſtrictus, ſed contra ſegni diffluens ocio, audeam à te, quantivis pretii viro, graviſſimis muneribus prædito, ac diebus, atque adeo horis omnibus, in ſummis de univerſa Rep. negotiis occupato, audeam, inquam, inania literarum officia repoſcere, &, ubi ea ceſſent, ceſſationis cauſas efflagitare? profecto, ſi tale aliquid admittam, neque rationis cujuſpiam, cur id faciam, fiducia ſubnixus ambulem, ab jure, ab æquitate, denique ab officio boni viri, longius abeam. Sed, quid ſi à tuæ humanitatis, quæ, tum in omnes, tum in me, largiſſime diffunditur, fonte, tui à te ſilentii rationem poſtulandi, mihi facultas emanet, non ne reprehenſoribus meis, me accuſandi, omnis ademtus vel imminutus ſit labor? Tu, meis ſemper literis, modo paucis modo pluribus verbis, reſponſum dando, me, quaſi in poſſeſſione tuarum literarum, conſtituere voluiſſe videris. his ego deliciis,

deliciis, quibus non aliæ palato cordis mei ſuaviores, aſſuefactus, cum ab illis paululum abſtrahor, quid mirum, quid novum faciam, ſi animo commovear, ejuſque calamitas unde mihi provenerit, quæram? Verum, ne me plane, ut ſtultum, irrideas, quod beneficia, quæ à libera benevolentis animi voluntate proficiſcuntur, cum ſunt frequentia, aliquid nobis juris acquirere & debiti rationem habere defendam, cum in eam cogitationem ingredior, ſtatim ab eadem pedem refero, atque ad rationis terminos, unde diſceſſeram, redeo; facioque, ut tibi potius gratias agam, quod aliquando tuis me beneficiis ornaveris, quam doleam, quod ea perpetuare nolueris. Hæc dum maxime meditor, ac ſcribo, ecce, tuæ ad me literæ perferuntur, quæ inanem hanc ſuſpicionem meam videbantur removere, meque arguere, quod paſſus eſſem, mihi in mentem venire, te poſſe moribus aliorum eſſe conſimilem, qui, ſi quando benignitatem in quempiam ſuam aperiunt, ſtatim eam claudunt, nec ſinunt libere fluere; denique, eundem te, qui ſemper adverſus me fueris, eſſe ſignificabant. At ejus epiſtolæ, Chriſtianæ prudentiæ pietatiſque pleniſſimæ, hæc erat ſumma, Italicum meum epigramma tibi viſum fuiſſe non inelegans, neque tam ob verborum ſplendorem, quam ob ſententiæ, qua concludebatur, acumen, quam latius etiam atque copioſius expoſuiſti, nihilque ea eſſe verius affirmaſti; nimirum, inanes eas eſſe hominum cogitationes, fragileſque conatus, qui ad eam tantum gloriam conſequendam referrentur; quæ anguſtis horum inferiorum finibus contineatur; nam, quantumvis ea temporis injuriis obſiſtat, non tamen effugiet rerum humanarum commune fatum, atque una cum iis, quæ orta ſunt, occidet; ad eam autem parandam, nobis ſtudio omni enitendum eſſe, quæ, in omni æterni temporis ſpatio nullis futura erit caſibus obnoxia; cujus gloriæ illi compotes erunt, quorum nomina liber vitæ refert exſcripta. hi autem non erunt alii præter eos, qui, abnegantes impietatem & ſæcularia deſideria, egregiæ pietatis, fidei, & caſtitatis cum laude, vitæ ſuæ curſum confecerunt. cujus curriculi metam ea, qua afficior valetudine, ut ſuperioribus ad te literis ſcripſi, mihi videtur oſtendere. utinam liceret mihi verbis
iiſdem

iiſdem gloriari, quibus gloriatur Paulus Apoſtolus, ac dicere, *Bonum certamen certavi, curſum conſummavi, fidem ſervavi.* verum, hanc mihi orationem eripiunt innumerabilia mea peccata atque flagitia, quibus me coinquinavi. una tamen res, ne demittam animum, prohibet; divina nimirum miſericordia, quæ obviam eſt omnibus quos peccatorum ſuorum vere pœniteat. quæ ſpes ut mihi procedat in numerum, tu, pro eo amore quo me complecti dignatus es, veram illam pœnitentiam, qua præteritæ vitæ peccata deleantur, tuis mihi à Deo precibus impetra. Vale. Romæ, Kal. Auguſti CIↃ IↃ C XLV.

V I.

EGo otioſus domi ſedeo; neque quiſquam eſt, cui minus liceat eſſe otioſo. nam ſi me inertiæ traderem, vererer, ne vivum muſcæ comederent. deinde, hominis, ad agendum non ad quieſcendum nati, otii fructus eſt, non relaxatio animi, ſed contentio. accedit, quod ægritudo, quæ me nuper invaſit, cum dolorem nullum afferat, non impedit, quo minus aliquid commentari vel ſcribere, ſi libeat, poſſim. Sed, qua potiſſimum in re otium, quod datur, inſumam, non ſatis occurrit. etenim, ne ad nugas revolvar ut antea, retinet me decurſa ætas, cujus à me habenda eſt ratio diligenter, cavendumque, ne quid committam quod minus eam deceat: ac ſapienter, ut ſervulorum eſt captus, Terentianus Soſia docet, aliam ætatem, alios mores, atque alia ſtudia poſcere. deinde terret me Dei immortalis metus, ad quem judicem quam primum eſſe venturum, ætas me, ac morbus in quem incidi, admonet; ad cujus tribunal judicis ſi verba inania atque inutilia in crimen pœnamque vocabuntur, quid libris futurum putamus, qui ad nullum fere Chriſtiani hominis uſum, ſed tantum voluptatis ac fallendi, ut dicitur, temporis gratia, ſcribuntur? quod verbum Io. Iuvenalis Ancina, Salutiarum Epiſcopus, cujus ego vitam, rogatu P. Io. Matthæi, germani fratris, ſcripſi, tantopere exhorrebat, & acerrimis eos reprehenſionibus verberabat, quos illo uti audiebat. Quid? tu ne tempus, ajebat, te putas fallere? immo te decipis, qui ſpacium, tibi ad

æternam

æternam ſalutem comparandam commiſſum ac traditum, in rebus leviſſimis, nulli tibi aliiſque uſui futuris, perperam conteris; denique, re, ut ait Seneca, omnium pretioſiſſima, ludis. Deinde, ne opus aliquod grave vel longum aggrediar, multa me prohibent. primum puſillulum illud vitæ, quod reliquum eſt, temporis; quod quam longum futurum ſit, quis nam audeat affirmare? nam verendum eſt maxime, ne antea vivendi finem faciam, quam, quod inſtituerim, opus abſolvam, quodque inchoatum nec plane perfectum reliquerim, inter abortivos fœtus rejiciatur, vel, ſi vivens ad abſolutionem perfectionemque perduxerim, ne prius, quam communem hanc lucem aſpiciat, hoc eſt, prius quam typis mandetur, ego luci ſurripiar. quod ſi contingat, quis dubitet, quin paratum ſit nomen operi poſthumum, utpote, poſt auctoris obitum, edito? tum, eripit mihi voluntatem ſcribendi, librorum inopia. quid enim ego aliquod in eruditis nomen habere poſtulem, aut quid præſtare in hoc genere poſſim, ſine infinita propemodum librorum varietate & copia, unde omnis eruditionis fons & origo emanat? ii alacriter animum ad ſcribendum adjungant, apud quos, à tecto tenus, exſtructa loculamenta cernuntur, quibus, quidquid eſt orationum, hiſtoriarum, omniumque cujuſvis artis ſcientiæque voluminum, continetur. poſtremo, ſi quid conari audeam, conatibus meis vires ingenii non reſpondebunt, magna ex parte, annorum decurſu, imminutæ. non enim, ut antea, promtus ad excogitandum ſed tardus, non alacris ad inveniendum ſed iners, non copioſus ad ſcribendum, ſed propemodum inops, invenior; non verba, ut olim, ſponte ſe offerunt & ſub acumen ſtyli ſubeunt, ſed vix quæſita ac vocata reſpondent. Quæ cum ita ſint, ne omnino deſidiæ me dedam, vel potius, ut vivere ac frui anima videar, (nam, eorum, qui nihil agunt, vita morſque juxta à ſapientibus æſtimatur,) placet mihi, modicis exercitationibus, id quod reliquum eſt in me facultatis, ne prorſus intereat, alere. primum, ut iis me opuſculis oblectem quæ abſolvi intra paucos dies poſſint, & ab iis me abſtraham quæ plurium menſium vel annorum operam ac ſtudium efflagitant; deinde, ut otioſus, & tanquam aliud agens, ad

ſcriben-

ſcribendum me conferam, ſtylum prehendam, & quidquid ſponte, non coacta, ingenii vis fuderit, ſcribam, neque properandi ſtudio, quaſi in aliqua turba ſim, ipſe me, cupidum eundi, conculcem ac proteram. Itaque nihil poſthac à me, niſi vel epiſtola, vel brevis aliqua diſputatio de rebus ſacris ac divinis, exibit. Interim, laudationem, ſive potius commentarium laudationis, Gregorii XV, ante annos unum & viginti à me in Academia noſtra habitæ, quodam domus meæ angulo ſe occultantem, inveni. Commentarium magis laudationis, quam laudationem appello; quia, quæ ibi ſtrictim ac breviter comprehenduntur, cum agerem, dilatavi, ac majora, verbis, effeci. Trado eam tibi, ita ut inveni, plenam pulveris ac fumi, ut, ſi ſit otium, legas, lectam vel conſcindas, vel Nihuſio mittas, ut aliis, quas habet, adjungat. Vale. Romæ, IV Idus Auguſti CIↃ IↃ C XLV.

VII.

QVod brevior ſim quam antea, non mea culpa contingit, ſed ejus factum eſt cauſa, cujus rogatu longiſſimas ad te literas dederam. Gabriel nimirum Naudæus, Pariſinus, Eminentiſſ. Card. Mazarini Bibliothecarius, omni doctrina & humanitate excultiſſimus, me rogavit opere maximo, ut pluribus ad te verbis de bibliotheca domini ſui, ſuoque de ſtudio, diligentia & labore in libris tota Italia ac Romæ, ubi nunc eſt, inveniendis comparandiſque, ſcriberem, quibus bibliotheca, quam Cardinalis Pariſiis publicare inſtituit, componatur expleaturque; qua bibliotheca, nulla, tota Europa, futura eſt amplior, neque omni librorum copia ac varietate copioſior. præterea voluit me, ſicut meus eſt mos, multarum facetiarum jocorumque ſale id, quod ſcripſiſſem, aſpergere. Parui, obtemperavi, morem geſſi; ac literas ad eum miſi ut legeret, atque etiam, ſi ex animi ſui ſententia eſſent, deſcriberet, ut, ſi eas deperire contingeret, aliquod, apud ipſum, earum exemplum remaneret. Verum, quatuor poſt dies, famulum cum eas repetitum miſiſſem, reſpondit, ſibi, in librorum acervis obvolvendis obligandiſque occupatiſſimo, non fuiſſe

otium

otium eas legendi, nedum exſcribendi; propterea æquo animo ferrem, ſatis eas tempore ad te venturas, ſi proximo tabellario veniſſent. Quid vis? parendum fuit, Hanc Bavari Ducis ſive victoriam ſive cladem (nam homines varie loquuntur,) tibi, qui propius à loco, ubi pugna commiſſa eſt, abes, certiorem eſſe arbitror, quam nobis, quibus pene ignota ſunt ea quæ Romæ fiunt. Boni omnes Bavaro, Catholicæ fidei propugnatori acerrimo, bona omnia cupiunt; ac victoriam, quamvis non ſine magno ejus exercitus damno, attribuunt. qui Gallorum rebus ſtudent, eoſdem ſuperiores diſceſſiſſe affirmant. Heri Card. Capponius, qui cum horam fere integram dulcibus alloquiis tranſegi, dixit mihi, librum Homiliarum meum, quem ſecum attulerat, Ravenna, una cum aliis manuſcriptis pluribus, Romam perferri. ſimul ac ad me redierit, per partes ad Nihuſium, qui ejus videtur eſſe percupidus, mittam. Vale. Roma, XVI Kal. Septemb. CIƆ IƆ C XLV.

VIII.

Eminentiſſ. Card. Mazarinus nullum neque modum neque finem facit, quemadmodum de Rep. ita etiam de bonarum artium ſtudiis, bene merendi. nam, cum habeat in animo, Pariſiis, in urbe orbis terræ clariſſima, quæ nunc eſt theatrum illius ingenii, prudentiæ, probitatis, fidei, abſtinentiæ, virtutumque omnium, inſignem bibliothecam, ad ſtudioſorum commodum excitare, Ambroſianæ quidem Mediolanenſis ſimilem, ſed quæ longe illi, librorum varietate, numero, ac pondere, antecedat; Gabrielem Naudæum, libris compluribus editis, ac doctrinæ & eruditionis fama, notiſſimum, Bibliothecarium ſuum elegit, cui id negotii daret; atque huic eum muneri voluit eſſe præpoſitum: ac præterea pecuniam, qua illius ſumtibus ſuppeditaret, eidem large copioſeque attribuit. nec quemquam, meo animo, potuit, magis ad id munus aptum, invenire. neque qui libentius ſuam ad id operam, ſtudium, ac diligentiam conferat. etenim ante annos ſeptem ac decem, & plus eo, librum edidit, in quo docte eruditeque ſententiam ſuam aperuit, de Bi-

bliotheca publica inſtituenda, quaque ea ratione facillime comparari, atque omnium librorum genere inſtrui poſſit. Itaque nunc hic Romæ verſatur; ut, ex iis præceptis, quibus alios eſt erudire conatus, provinciam ſibi traditam adminiſtret, ſeque re ipſa magiſtrum fuiſſe non malum, oſtendat. atque Mazarinæ iſtius Bibliothecæ conſtituendæ initium fecit ex bibliotheca quadam Cordeſii cujuſdam, Canonici Lemovicenſis; quæ, ut videre licet ex indice, qui tum erat impreſſus, ex voluminum ſexies millium numero conſtat, quaque nihil tum Pariſiis perfectius abſolutiuſque inveniri poſſe exiſtimabatur. hanc bibliothecam, intra anni unius ſpacium, cum etiam tum eſſet Pariſiis, alterô tanto librorum numero auxit. At iſthæc ſingularis, hominis, in hoc mercimonii genere, induſtria, cum nihil eſſet Pariſiis relictum, in quo verſari amplius poſſet, peregrinata eſt foris: ac primum, proximo ſuperiote anno, Belgium adiit, atque inde, quidquid erat in hoc genere belliſſimum, carpſit: hoc vero anno, tanta vi ac contentione animi, ſuum hoc ſtudium in Italiam invexit, ut non hominis unius ſedulitas, ſed calamitas quædam per omnes bibliopolarum tabernas pervaſiſſe videatur; nam coëmtis omnibus, quæ in unaquaque ſunt, libris, tum manuſcriptis, tum impreſſis, quovis ſermone de quacunque re ac facultate compoſitis, inanes eas vacuaſque relinquit; interdum etiam, tanquam ſi illuc, non librorum emtor, ſed parietum menſor, acceſſiſſet, quidquid librorum eſt, & à tecto tenus exſtructa loculamenta, decempede metitur, & ad ejus menſuræ rationem pretium enumerat. non parum etiam ſæpe venit eo, ubi ſtruices librorum, ex centenis milleniſve libris conflatæ, viſuntur; rogitat precium; venditor indicat: non convenit inter eos; litigant: ſed tandem ille, inſtando, urgendo, tundendo, odio denique, aſſequitur, ut optimos ſæpe libros vilius, quam ſi eſſent pira, vel poma limonica, auferat. at ille, qui vendidit, in otio, factum ſuum reputans, ſibi glaucomam ob oculos objectam ac manum aditam fuiſſe conqueritur, quod libros illos multo potuiſſet carius, aromatariis, ad thus ac piper amiciendum, vel cetariis, ad butyrum, garum, aliaque ſalſa muriatica obvolvenda, divendere. At, velles hominem, ex tabernis bibliopo-

bibliopolarum exeuntem, aſpicere: riſum profectò tenere non poſſes; ita exit, capite, barba, veſtibus, telis aranearum, atque erudito illo pulvere, quia libris adhæſerat, plenus, ut, ad eum depellendum, nullæ ſatis videantur eſſe excutiæ, nulli peniculi. Vidi ego, in ejus cubiculo, Hebraica multa volumina ſimul poſita, ita uncta, ita olida, ita fœtida, ut ſpurcaretur naſus odore illutibili, credo ex Hebræorum culinis (neque enim aliter mihi perſuaderi poteſt) eruta atque depromta; nam olent fumum, jus, muriam, caſeum, vel potius hæc omnia ſimul confuſa atque permiſta. atqui, ſi eſt illi conſilium, ea, ita ut ſunt, in bibliothecam, quam parat, inferre, jam non eam cupidis literarum exornat, ſed muribus parat. namque odor ille, tanquam claſſicum quoddam, quidquid eſt, non modo Pariſiis, ſed in vicinis etiam regionibus, ſoricum ac murium, illuc evocabit; ibique illi perpetua agitabunt convivia, ſenatum de rebus ad ipſorum Remp. pertinentibus habebunt, ſententias, quemadmodum felibus, capitalibus ipſorum hoſtibus, obſiſti poſſit, exquirent. Sed, extra jocum, doctiſſimus Naudæus, omni mente in ea cogitatione curaque verſatur, ut, quoniam ita domini voluntas fert, Lutetiæ Pariſiorum, eam Bibliothecam publicet, qua nulla ſit tota in Europa nobilior. atque, ad hunc finem, omnes, ubi aliquis eſt literis honor, urbes, atque adeo anguli, inveſtigantur, penetrantur, explorantur. Hæc ad te pluribus, cum nihil eſſet aliud, ſcripſi, ut, & Card. Mazarini, beatiſſimi hominis, in ſumma rerum omnium abundantia, literarum amorem, & Gabrielis Naudæi, omnibus elegantibus diſciplinis exculti expolitique, in illius imperiis exequendis, ſedulitatem ac diligentiam, laudes, admireris, exornes. Vale. Romæ, XI Kal. Septemb. CIↃ IↃ C XLV.

IX.

QVæ tanta, Tyrrhene clariſſime, eloquentiæ vis eſt, quæ, pro tuis meritis, tibi gratias agere valeat? Tu, ſapientiſſimis & humaniſſimis tuis literis, eam mihi moleſtiam leviorem feciſti, quam immaniſſimi illi calores afferunt, quibus urgemur; quibus caloribus, poſt

Vrbem conditam, majores extitiſſe, vix adduci poſſum ut credam. Sol enim, non radiis ornatus, ſed facibus videtur eſſe armatus; &, quemcunque attingit, ſolido mactat infortunio. nam cruciat, urit, & ægrotare, atque etiam mortem obire, compellit. Illud vero incredibili me admiratione affecit, quod ſcribis, adeo te iſtic, hoc tempore, à frigore affici, ut, ad illud depellendum, neceſſe habeas interdiu, thorace, femoralibus, caligiſque, laneis purpureis villoſis, noctu vero ſtragulis tribus, laneis, iiſque craſſis, uti. Sed, numquid tanta vis frigoris à cauſis, intus tibi hærentibus, oritur, aut illud Davidis Regis in te exemplum, longiſſimo intervallo, renovatur, qui uſque eo à frigore vexabatur, ut ulla vix ope calorem concipere poſſet? at tu nondum ad Davidis annos perveniſti, ſi ſenectutis illud erat vitium; ſed ab iis longius abes. vel potius id à cæli ſævitia, unde animam ducitis, accidit? quod ſi eo tempore, quo hîc quivis ſudat, ardet, ac, ne prorſus uratur, ſe Tybridis undis immergit, iſtic homines algent, quid fore iis menſibus credam, quibus, iis etiam regionibus quæ æſtivo tempore nimio ſolis ardore torrentur, moleſta ſunt frigora? equidem, ſi regnum iſtic mihi daretur, non acciperem; quod multo difficiliora perpeſſu mihi fiant frigora, quam calores. ſed Siſyphus, quem te iſtic dicis agere, ac diurni nocturnique labores, quibus te ſubjicis, in admirationem tuæ curæ diligentiæque meum animum agunt, ſimulque inertiæ deſidiæque me arguunt, cum videam, te, in omnium virtutum curſu, non tuæ ſolum ætati præſtare, ſed mihi, aliiſque longe majoribus natu, præcurrere. quibus laboribus ærumniſque ſi te, quodam quaſi cribro, impelli agitarique defendas, tibi aſſentiar, nec pugnabo; verum, cribrum, in quo verſaris, cribrum pollinarium eſſe dicam, unde nihil niſi ſimilago, nempe virtutum maximarum flos excernitur; quod vero tenues anguſtaſque ſetarum rimulas penetrare non valeat, (quod dixerim eſſe inferioris ordinis opera, ut neceſſitatibus pauperum ſubvenire, amicorum officia non deſerere, & alia ejuſmodi,) id non rejicitur neque reſpuitur, ſed aſſervatur, & cogitur, ut ex eo, tanquam ſecundarius quidam panis, conficiatur, unde ii, qui ad illam ſublimium virtutum tuarum

exſupe-

exſuperantiam adſpirare non queunt, enutriri, & quantum ipſis fas eſt, ad ſimilitudinem tui pervenire conentur. at cribrum, in quo ego exagitor exerceorque, cribrum eſt excuſſorium, quo vix pauca, neſcio quæ, grana colliguntur; atque utinam non inania, à curculionibus, intrinſecus reddita; ſed pulveris magna vis, ac non exiguus palearum ſtipularumque acervus excerpitur; quæ omnia nulli alteri apta ſunt uſui, niſi vel, ut oculis aut ori, quæ duo maxime à pulvere offenduntur, moleſtiam exhibeant, vel, igni ſuperaddita, illum alant atque augeant. *Sed hæc hactenus. Nullam eſſe rationem video, cur tibi ſuccedatur; quamobrem iſta ſpe migra, & cogita, tibi ea, quæ futura eſt, hyeme, & aliis deinceps pluribus, niſi nos Deus reſpiciat, in iſtis nivibus eſſe vivendum, vel potius algendum; ac talarem pelliceam tunicam, aliaque, ad frigus propulſandum neceſſaria, para. Tum, iſthæc inter frigora, hac ſpe calere potuiſſes, ſi ſegnius ac negligentius, Remp. adminiſtraſſes; cum vero illud animi, ingenii, doctrinæ, abſtinentiæ, prudentiæque tuæ, lumen oſtenderis, ut non modo Germaniam, Belgium, ſed alias etiam longe disjunctas regiones, ſua luce compleverit; cumque, ſi ad conſilium de aliqua Rep. dandum, caput ſit, eam Remp. noſſe; quis te melius conſuli, de rebus ad Germanorum Remp. pertinentibus, poſſit, qui, ob longum earum uſum experientiamque, ita totum regionum iſtarum ſtatum poſſides, ut nemini eorum invideas, qui, ab ineunte ætate, totos ſe negociis publicis dederint? Neque, ad depellendum à te onus iſtud, quo premeris, momenti quidquam afferet tua illa gravis pollicitatio, qua ſpondes, ei, qui tibi ſubrogetur, quindecim dierum colloquiis, univerſum partium iſtarum ſtatum, notum eſſe facturum. nam in rebus dubiis, periculiſque refertis, quibus præſenti opus eſt auxilio, rejecta veteris atque experientis manuductoris cura, velle ignoti hominis induſtriæ periculum facere, non videtur eſſe ſapientis. Perge igitur, ut facis, tua opera conſilioque Chriſtianæ Reip. prodeſſe. &, quo rectius præſtare id poſſis, da operam diligenter, ut valeas. Romæ, Kal. Septemb. CIↃ IↃ C XLV.

X.

RVmor tota Vrbe diſſipatus eſt, Caneam à Turcis eſſe captam. quæ fama ex literis multorum emanavit in vulgus, additque, tantum nefas, ducum noſtrorum culpa, contigiſſe, qui obſeſſis auxilio mittebantur: nam, dum cunctantur, dum, inanibus officiis invicem perſolvendis, fruſtra tempus conterunt, dum ſæpius quieſcendi, ac vires ex itinere, frequentibus victibus, reparandi gratia, conſiſtunt, interea, qui obſidebantur, omnium rerum præſidio deſtituti, cum diutius obſidionem ferre non poſſent, deditionem fecerunt. Sed brevi ad nos certum afferetur. Cupio vehementer, epiſtolam, ad Giſbertum Lappium Vltrajectinum ſcriptam, & in hunc faſciculum incluſam, ad Nihuſium pervenire, cujus opera Trajectum illi mittatur. quod, pro tua ſingulari humanitate, fore confido. Eſt homo ille, ſane eruditus, vehementer quibuſdam iratus, qui Adrianum VI, quem non eſt dubium fuiſſe Vltrajectinum, Italiæ aſſerere, atque Italum facere ſunt conati. ſed mirum illi videri non debeat, immo, ad patriæ ſuæ gloriam id eum referre, æquum eſt potius. ea enim eſt hominis illius, in omni genere virtutum excellentia atque præſtantia, ut civitatum omnium ſtudia poſſit, ad eum ſibi vendicandum, incendere. Ita de Homero, ut tu melius noſti quam ego, proditum literis eſt, quem Colophonii, Chii, Salaminii, Smyrnæi, aliæque civitates complures, magnis contentionibus, ſuum eſſe affirmabant. Sed quid vetera quærimus? Eſt hic Romæ Abbas quidam ex D. Benedicti familia, Conſtantino Cajetano nomine; quem tu fortaſſe, arbitror, dum eras Romæ, noviſſe; nam in omnium ſe familiaritates, quibus ingenium atque eruditio aliqua ſit, inſinuare ſolitus eſt. hic, inquam, Abbas, verbis, non re, (nam præter titulum, nihil aliud habet,) adeo vehementi, &, ſi dicendum eſt magis aperte, adeo inſano amoris impetu, in ſuum Ordinem fertur, ut, quicunque, poſt D. Benedictum, ingenii, doctrinæ, & ſanctitatis laude floruerint libris editis, ad ſuos tranſcribere conetur; ut magnum Gregorium, Thomam de Kempis, ac modo S. Ignatium

tium Lojolam, Soc. Ieſu parentem, quem, detracto Ignatii nomine, Enneconem appellat, antea quam Societatem fundaret, Montis Caſſini Oblatum, vel bajulum potius, fuiſſe ſomniat. cujus dicta, non magis facete quam docte eruditeque, P. Io. Rho, Soc. ejuſdem Concionator inſignis, elevat, irridet, illudit, &c, nunquam eum magis ſomniaſſe, convincit. In pauca ut conferam, ſic ſe res habet, ut, quos eximia aliqua laus à ceterorum turba ſejungat, ſibi omnes expetant, &, ſi cauſæ aliquæ, ſive ineptæ ſive ſtultæ ſive falſæ, ſe offerant &, quaſi quidam flatus, oſtendant, illuc, unde flatus ille ſe dat, advolant, quantum poteſt, remigio veloque, ut ajunt, & ſuos illos facere properant. Hodie Innocentius X, Pont. Max. quod illi bene vertat, annum Pontificatus ſui ſecundum ingreditur. Vale. Romæ, XVII Kal. Octobris CIƆIƆCXLV.

XI.

MAgna profecto, ad eam ægritudinem, quæ me nuper invaſit, forti æquoque animo perferendam, ejus conſolationis vis eſt, quam mihi poſtremis tuis literis exhibes; nimirum, ut ſedulo cogitem, neque meo ab animo unquam dimittam, quidquid adverſi contingit, nobis à Deo immitti; qui, quod ſaluti noſtræ expediat, longè quam nos ipſi melius norit. nam, quid eſt ſapientius, quam divinæ voluntati morem gerere cui nemo poteſt obſiſtere, eique totum ſe tradere? quid ſtultius, quam, nihil proficientes, more gigantum, velle cum illa pugnare? Deinde, ſapientiſſimis ſanctiſſimiſque conſiliis tuis eo libentius acquieſcendum duxi, quod ab eo proveniant, qui, quum acerbiori, periculoſiori, longeque majori cum morbo conflictaretur, diligenter iiſdem eſt uſus, ac dicto audiens fuit. *Omnes nos*, ut ſapienter ille non ſapiens adoleſcens in Andria dixit, *omnes nos*, inquam, *cum valemus, recta conſilia ægrotis damus*; ſed non omnes, cum aliquem in morbum incidimus, iis conſiliis, quæ aliis dedimus, quæ ultro ſe offerunt illudque oſtendunt quod aliis bene monſtravimus, continuo aures admovemus, atque ex eorum præſcripto nos gerimus, neque

que eum conſtanter ac ſedate perferimus, ſed exclamamus ut mulieres, eumque aſperum, difficilem perpeſſu durumque eſſe, conquerimur. At ego eam in primis Deo habeo gratiam, quod, cum ſtatutum habuiſſet, de me, filio contumaci, ſupplicii paululum ſumere, non vere flagellum ſumſit in manus, ſed quaſi flagellum, de funiculis, quod nullum fere dolorem inurit; hoc eſt, pater lenis ac clemens eo me morbi genere verberavit, ob cujus levitatem tenuitatemque, gemere, ejulare, lamentari, frangi, debilitari, ac dolere, mihi non liceat: nullam enim moleſtiam, nullum incommodum affert, nihil eorum adimit quæ ſint ad vitam tuendam neceſſaria; non vires corporis, non cogitandi laborem, non legendi ſcribendique ſtudium, non ſomni neceſſitatem; non cibi appetitum. ut in neminem, quam in Deum patrem, illud magis conveniat, quod dictum eſt, pro peccato magno filii, paululum ſupplicii ſatis eſſe patri. Sed nos ſtulti ac miſeri, qui, de hac tam brevi tamque exigua vita, ita ſoliciti ſumus, ut nullam velimus illi ægritudinem intercedere, quæ proſperum ejus curſum interrumpat. de illa æterna, ac cumulata bonis omnibus, cogitandum; neque in ſempiternæ illius felicitatis poſſeſſione quidquam nos poteſt conſtituere, niſi vita laudabiliter acta, eaque quæ ſimilis illi mors ſequitur, quaque juſti moriuntur. quæ ut contingat, omni ope enitendum eſt nobis, cupiditatibus frangendis, opibus, honoribus ac divitiis aſpernandis; denique nihil in vita expetendo, niſi quod ſit cum laude & cum honeſtate conjunctum. Sed γλαῦκ' εἰς Ἀθήνας. etiam atque etiam vale. Romæ, VII Kal. Octobris CIↃ IↃ C XLV.

XII.

HEri non alius fere hîc Romæ fuit omnibus ſermo; niſi navale prælium, apud Cretam inſulam feliciter à noſtris depugnatum, ac per illud victoria de Turcarum claſſe reportata. quod eo facilius multos ad credendum adducebat, quo multa ſingulatim de prælio illo narrabantur, quæ, verum illud fuiſſe quod narrabatur, neque ab aliquo fictum, perſuaderent: nimirum; duo ac viginti

hoſtium

hoſtium triremes fuiſſe demerſas, triginta captas, ac multa præterea alia minora navigia, noſtrorum in poteſtatem veniſſe. addebant deinde, tam inſignem noſtris victoriam non ſine multo ſanguine detrimentoque contigiſſe, quod triremes duodecim, quæ ſumma vi pugnabant, atque in his Florentinæ duæ, depreſſæ interierint, atque, ut nihil eorum taceam quæ vulgi rumoribus jactantur, Princeps etiam Ludoviſius, belli dux, fortiter pugnando vulnus acceperit. ſed, cum diligentius quærerem, unde hæc fama emanaſſet, inveniebam, non eam ex literis, publice ad Pontificem ſcriptis, prodiiſſe, ſed ex privatorum quorundam epiſtolis, ad amicos datis, proſeminatam, eamque pro vera atque explorata acceptam ab iis, qui incertis rumoribus ſerviant. faxit Deus, ut veritas rumori reſpondeat, neque, quæ efferuntur, ad voluntatem noſtram ficta ſint ab iis, qui falſo nos gaudio duci volunt. Hæc volui ad te ſcribere, cum nihil haberem quod ſcriberem; ac ſolemne illud meum ut ſervarem, ne, tabellarium ad vos quemquam ſine meis literis venire, mea culpa contingat. Tria præclara trium hominum ingenia, uno fere eodemque tempore, interierunt; Franciſcus Bracciolinus Piſtorienſis, Torquato Taſſo poëtæ proximus, quamvis longo intervallo proximus; Octavius Tronſarellus Romanus, non vulgaris eruditionis, ac poëta gravis, ſed aliquanto aſper ac durus; ac Gregorius Porcius, Anconitanus, ſed patre Græco, Græcis ac Latinis literis eruditus, ac poëta elegans & facetus. Video, novæ pinacothecæ materiam, ſi longior mihi vita contingat, ſuppeditari: ſed totum hoc poſitum eſt in Dei voluntate; in cujus ego poteſtate ſum. Vale. Romæ, IV Kal. Octobris CIↃ IↃ C XLV.

His literis ſcriptis, proxima ſuperiore nocte venit certus ad oratorem Venetum nuncius, qui affert, triginta Turcarum partim triremes, partim naves, quæ commeatum, arma ac reliqua ad belli uſum neceſſaria, in Cretam inſulam ferebant, in Chriſtianorum claſſem incidiſſe, quæ centum triremium numerum compleret; ſed Turcæ, cum, in certamine, ſi res ad manus atque pugnam veniret, intelligerent, ſe pares noſtris eſſe non poſſe, deditionem feciſſe, neque auſum eſſe quemquam,

gladium vagina vacuum facere, noſtros vero, tot navigiis auctos, quæ ſtatim remigibus Chriſtianis,qui in eis erant, armatis,complerunt, alacres, ad hoſtium claſſem oppugnandam, prodiiſſe; verum, quid deinceps ſit actum, adhuc ſciri non potuiſſe, ſed ſpem eſſe, belli eventus noſtris ſatis ex ſententia proceſſuros. quod Deus faxit. Omnis expectatio noſtra eſt in nunciis, qui ſunt venturi. Iterum vale. III Kal. Octobris CIƆIƆCXLV.

XIII.

NVnquam arbitratus ſum fore, ut ego, qui non indiſertus vel, ſi verum ſit dicendum, ſatis loquax non nemini videor, protinus à facundia dſererer. nam, cum calamum in manus ſumſiſſem, quo aliquid tibi literarum mitterem, jamque, ut fieri ſolet, ſalutem eſſem præfatus, continuo hæſi, nec, quod principium inciperem, ad ſcribendum inveni. atque re ipſa ſum expertus, id quod antea audieram ac legeram, tanquam ſolum ac fundamentum eloquentiæ eſſe rerum cognitionem atque notitiam, neque quemquam poſſe eſſe eloquentem, niſi res ſubſit de qua loquatur; ceteroqui furere atque inſanire videbitur. itaque eo redactus eram, ut cogerer, vel calamum deponere, & ad te ſcribendi cogitationem abjicere, (quod non erat conſilium facere,) vel ut, nugis chartas implerem, eaque tibi mitterem, quæ, ſi Romæ ſis, narrare nemo audeat. cujuſmodi eſt illud, quod heri vidimus, quum tota nimirum Vrbe duo quidam, equis impoſiti, ac funibus circumplicati, & lictorum cohorte ſtipati, per celeberrimas urbis vias circumferrentur; quorum unus, honeſta facie, notiſſimo cuidam Antiſtiti à ſecretis fuiſſe dicebatur, alter inferioris erat ordinis, nempe ex eorum numero, qui, quæ ubique locorum acta ſunt, colligunt, &, literis conſignata, octavo quoque die mercede divenditant. eorum uterque cauſam, quamobrem ea ignominia afficeretur, in pectore, cubitalibus pene literis ſcriptam habebat; quod videlicet arcana, ac minime divulganda, per literas evulgaſſent. Ac jam pene putidum eſt, de bello contra Turcas, ſcribere; tam multa, tam varia, tamque inter ſe contraria diſſipantur,

tur. alii dicunt, illorum claſſis partem à noſtris captam atque depreſſam fuiſſe: alii, hanc noſtris triremibus vaſtitatem, ac prope exitium, contigiſſe: alii affirmant, noſtros, cum prope ab inſula Creta abeſſerit, Venetum triremibus, & egregiis illis myoparonibus, qui in portu Sudæ, ne ſe commovere poſſent, clauſi detinebantur, ſignum dediſſe, ut foras erumperent, ſeque cum ipſis conjungerent; quod cum ſtrenue fortiterque feciſſent, ſtatim, ingenti exorta tempeſtate, ventorum vi, hac illac impulſos, fortunæ ludibrium dediſſe: aliorum opinio eſt, adverſariorum noſtrorumque claſſes nondum inter ſe fuiſſe conſpectas, ne dum rem ad manus certamenque veniſſe. Ne multa; tam, ut dixi, varia, tam dubia, tam inter ſe pugnantia, tam falſa, vulgi ſermonibus agitata narrantur, ut, non in Græcia, unde perpetuo ad nos naves commeant, ſed apud gentes, in extremis atque ultimis terris poſitas, extra anni ſoliſque vias, res agi videatur. Atque, ut majus chartæ ſpacium impleam, iſtuc etiam addam, hic Romæ dies ita pulcros, ita ſerenos, ita amœnos, ita lepidos, ita venuſtatis plenos, illuceſcere, ut nullum vernum tempus, illorum unquam ſimiles dederit. Vale. Romæ, prid. Idus Octob. CIↃ IↃCXLV.

XIV.

PLures equidem, Tyrrhene clariſſime, ad te literas dedi, quas cum ſcribebam, non eram ita ineptus, ut iis à te reſponſum deberi exiſtimarem. nihil enim fere ſolidum continebant, ſed erant caſſa nuce inaniores. Sed conſuevi ego octavo quoque die ad te ſcribere; à qua conſuetudine uſque ſi recederem, videbar non leve flagitium admittere. ac non parum ſæpe accidit, ut, cum calamum ad ſcribendum ſumo, quod primum verbum ſcripturus ſim, neſciam, atque eo, quod ex improviſo mihi in mentem veniat, utar. Scripſi etiam epiſtolas aliquot jocoſas, & in primis eam, qua ludebam in Gabrielem Naudæum, qui in inſtruenda bibliotheca Mazarina, cujus gratia Romam venerat, nullum librorum diſcrimen haberet, ſed omnes, quotquot ſors obtulerat, dummodo vilis eorum eſſet annona, coëmeret, ſive illi eſſent

nitidi

nitidi ac ſcite eleganterque illigati, ſive fumo ac ſordibus obſiti, ac inepte maleque conſuti. verum hanc epiſtolam, rogatu coactuque Naudæi ejuſdem exaravi; quam etiam exſcripſit, & ſecum in Galliam attulit. quamobrem totum hoc genus literarum, vix erat dignum quod aſpiceres, nedum minimum aliquod temporis, ad reſpondendum, ſummis graviſſimiſque occupationibus tuis ſurriperes. quos tibi labores non ſatis ex ſententia ſuccedere, ſed omnes in irritum cadere, graviter in tuis ad me literis quereris. Sed non eſt ita, Tyrrhene; nam, quamvis non eos, quos par eſt, exitus habeant, iniquitate ac malitia hominum intercepti, à Deo tamen, à quo omnes capilli capitis noſtri numerati ſunt, ne quod illorum unum intereat, omnes labores tui, magno compenſati præmio, mitigabuntur. Quamobrem perge, atque in id opus, ſicut facis, diligenter incumbe. Venit ad me domum, ſalutandi gratia, admodum Rever. P. Ambroſius Landuvius, Auguſtinianus Eremita, qui Romæ D. Auguſtini Cœnobio, Prioris autoritate ac nomine, præſidet; miſſus, ut ajebat, à D. Calanio de Aciaria, ut excuſaret occupationes ſuas, & diſcedendi celeritatem, quod, Senas profecturus, me non antea conveniſſet. cui reſpondi, officium iſtud futurum fuiſſe ſuperfluum ac non neceſſarium, quod, ſine ejuſmodi ſignificationibus, jam mihi notum eſſet atque perſpectum, me ab eo amari. poſtridie contuli me ad eum, ab eoque honorifice ac peramanter ſum exceptus. horam ferme integram collocuti inter nos ſumus, ac fere ſemper, de te, ac de viris, rebus geſtis, doctrina ac ſanctitate illuſtribus, in quibus numerari ajebat pertinentem ad familiam Illuſtriſſimi Nuncii Colonienſis, B. Ioannem Chiſium, Auguſtinianum Eremitam, qui, ante annos trecentos & eo amplius, eſt mortuus, ejuſque vitam, paucis ante annis, elegantiſſime ſcriptam, Coloniæ fuiſſe impreſſam. miror, te celatum illud me habuiſſe, cum omnia ſemper large mecum liberaliterque communicaveris. Familia Barberina rediit cum Gallis in gratiam, ab eiſque rurſus in clientelam & fidem eſt recepta, ac, die Dominico proxime præterito, magna populi totius cum admiratione atque concurſu, cui hæc res incredibilis videbatur, ſupra fores
ædium

ædium Franciſci, Antonii, & Thaddæi Barberini, inſigne regium locatum affixumque conſpeximus. Vale. Romæ, XIV Kal. Novembris, CIϽIϽCXLV.

X V.

NOndum mihi facultas obtigit, virum principem illum adeundi. nam longa inter utriuſque noſtrum ædes via intercedit; viæ ſunt imbribus corruptæ; accedit ſenectus, infirmitas virium; neque adeſt Hugo Vbaldinus, qui me rheda illuc vehat, cum nondum Capranica, quo, animi cauſa, ſe ſe contulerat, in Vrbem redierit. ſed cras eum expectamus, vel ad ſummum perendie. neque ea quæ dixi incommoda me retinerent, quo minus, ut ætas mea fert, gradum proferrem, & ad eum progredi properarem, ſi mihi certum eſſet, eum domi invenire, vel ab occupationibus vacuum; ſed vereor, ne, cum tantum itineris laboriſque ſuſceperim, eum quopiam profectum, vel publicis graviſſimiſque negotiis, quibus perpetuo diſtinetur, implicatum inveniam, quamobrem omnes mihi ad eum aditus intercludantur. ſed celeris ejuſdem, in Vrbem Leoninam, reverſio, omnibus me hiſce difficultatibus & incommodis eximet. nam, ob propinquitatem, licitum mihi erit, eundem, à negotiis feriatum, adire, hoc eſt, ſtatim à prandio, cum, ſolutus curis, horam atque eo amplius ſolet, cum Canonico Vbaldino, Maria Iſabella Accorambona, fœmina lectiſſima, & mecum etiam, una conſumere. non enim, cum libeat, ab honeſtiſſimo illo cœtu, quæ illorum eſt benignitas humanitaſque, excludor. itaque, ſimul ac facultas dabitur, tuam illi epiſtolam legendam exhibebo; quam ille, magna ac ſuavi ſua voce legens, ſentiet ſe affici voluptate, cum intelliget ex ea, quanta ipſum benevolentia cultuque proſequaris. ſed homini occupatiſſimo, ad cetera negotia, quibus diſtrictus detinetur, alia etiam cura ſolicitudoque, non parum moleſta, acceſſit, religioſi videlicet totius cujuſdam Ordinis patrocinium. etenim non te fugit, quantum negocii, patronis ſuis, exhibere ſoleant ejuſmodi cucullatorum familiæ; quod patrocinium in illum tranſtulit Pontifex; qui etiam varia illius onera, quibus

quibus premebatur, cum aliis Cardinalibus partitur. Ajunt, propoſitum eſſe edictum, quo Cardinales omnes Romam evocantur, præter eos, quos officii ſui ratio in ſuis diœceſibus detinet, eoſque, qui bona ſua cum venia abſunt. ſed non eſt tantum ab re mea otii mihi, aliena ut curem, eaque quæ nihil ad me attinent. Navis, quæ libros, à Cæſio mihi muneri miſſos, advehit, nondum Liburnum appulir. Novam meditor Pinacothecam inſtruere, jamque ad ſexaginta doctorum virorum nomina deſcripta habeo, quorum imagines in eam referam. Quæſo, ſi quiſquam tibi ſubvenit, qui ſit prætermiſſus, ut ejus vitam moreſque, Italico ſermone breviter ſcriptos, ut olim feciſti, ad me perferendos cures. Vale. Romæ, VII Kal. Novembris CIↃ IↃ CXLV.

XVI.

Epitaphium religioſiſſimi viri ac paſtoris vigilantiſſimi, Iacobi Merlohorſtii, à te mihi miſſum, donum longe gratiſſimum, legi primum ſolus; tum rurſus, una cum Canonico Vbaldino; magnamque ex eo ſpiritualem voluptatem accepimus; poſtremo, interioris cubiculi mei, ubi legere ac ſcribere conſuevi, oſtio affixi, ac, quoties intro pedem in illud fero, oculis, quæ traduntur in eo, percurro, & mortem, cujus nullum eſt cuiquam effugium, mihi in memoriam revoco. idque maximæ utilitati eſſe experior; ac tum præſertim, cum inanes & inutiles cogitationes occurrunt. Cogito, ex iis, quæ in fine epitaphii de illo ſcripta leguntur, aliquam ejus imaginem deſcribere, quam in Pinacothecam novam, quam exſtruo, inferam. P. Odoricus Rinaldus, è Congr. Oratorii, Eccleſiaſticam hiſtoriam, à Baronio intermiſſam, reprehendit; jamque volumen unum, quod annos ferme centum complectitur, confecit, typiſque Romæ mandavir. cupit vehementer, plura ejus voluminis exempla Coloniam mittere, quæ ibi vendantur; ipſe ſolvet vecturam, vectigal, & omnia quæ ſunt neceſſaria; ſed neminem ibi penitus novit, cujus fidem ſequatur. itaque petiit à me opere maximo, ut ad te ſcriberem, digneris indicare, quam ille viam, ad hanc rem, poſſit inſiſtere; ac, ſi

ſas eſſet, illic aliquem invenire, cui tuto committi id mercimonium poſſit, libentiſſime ejus cum eo rationem haberet, ac pro ſolicitudine ac moleſtia, quam in libris illis ſuo precio vendendis, hoc eſt, eo, quod ſibi æquum videatur, (nam totum hoc, in ejus prudentiam & induſtriam rejicit,) capiet, mercedem, quam ille dixerit, ſolvendam enumerandamque curabit. quamobrem peto à te, quanta maxima vi poſſum, ut, ſi hac in re commodare illi poſſis, pro eo amore ſtudioque, quo catholicam religionem proſequeris, homini, mihi amiciſſimo, animum expleas. pertinet enim ad catholicam fidem, librum hunc tota Germania divulgari, quo hæreticorum, novatorum præſertim, mendacia refelluntur, cum omnia quæ in eo continentur, deſumta ſint ex Pont. ſummorum epiſtolis ad Reges, Imperatores, Dynarchas, legatos, ac Nuncios, ſingulis annis, datis; quarum epiſtolarum exemplaria, tabularii Sedis Apoſtolicæ cuſtodiis aſſervantur; unde, præſertim Eccleſiaſticæ hiſtoriæ, lumen elucet, & ad quæ iis, qui eam perturbare conantur, aſpirare non licuit. Claſſis noſtra, quæ adverſus Turcas pugnatura prodierat, re infecta, domum rediit. nam, dum varias moræ cauſas nectit, pugnandi tempus abiit. interim Turcæ Caneæ potiti ſunt, & unumquodque, quod in ea belliſſimum erat, ſive auri, argenti, veſtis ſtragulæ, ſive mulierum ac puerorum, navibus impoſitum, Conſtantinopolin ad ipſorum Imperatorem miſerunt. Sed quomodo noſtrorum ſtudiis atque conatibus faveret Deus, cum plures, ex nauarchis aliiſque ducibus, ſuas ſecum concubinas concubinoſque, ut ajunt illi qui in eadem claſſe fuerunt, adveherent? ac periculum eſt maximum, ne brevi, tota inſula in hoſtium poteſtatem veniat. at nos interim otioſi, non ceſſamus, peccata peccatis addendo, Deum nobis quam maxime infeſtum & inimicum efficere. quid enim aliud revera, niſi peccata noſtra, nobis vires atque animum minuunt, hoſtibus augent? Peto à te, ut valeas, & priſtinam tuam erga me voluntatem conſerves. Romæ, XV Kal. Decembris CIↃ IↃ CXLV.

XVII.

XVII.

QVamquam ea, quæ Romæ aguntur, domeſticorum tibi literis declarari putem; tamen meas etiam eſſe partes exiſtimo, de iis te certiorem facere; præſertim ſi quid commemoratione dignum occurrat. Heri prid. non. Decemb. ſummus Pont. comitia Cardinalium habuit, in quibus declaravit Cardinalem, Franciſcum Mariam Farneſium, Ducis Parmæ & Placentiæ fratrem. declaravit, inquam; nam anno ſuperiore eum creaverat; ſed variis de cauſis inhibitus eſt, ne pronunciaret; interea clauſum ſuum conſilium in pectore habuit; quod nunc cum aperuerit, eum inter Cardinales locum ac numerum obtinere voluit, quem illum obtinere par eſſet, ſi tum renunciatus fuiſſet. Magnam à Pop. Rom. ſummus Pont. hac electione gratiam inivit, eorum odio, qui familiam hanc, olim optime de hac urbe meritam, funditus exſtirpandam delendamque curaverant. ingentem, tota Vrbe, lætitiam agitari videres. ignes nocturni, ſummo artificio elaborati, cælum ac terram inflammare videntur, ſtrepitus, crepitus, ſonitus, tonitrus, ferreis tubis emiſſus, aërem complet; tympanorum fragore, tubarumque clangore, omnia perſonant; fauſtis acclamationibus, Farneſiorum nomen in Cælum effertur; ædium illorum feneſtræ, crebris luminibus diſtinctæ, collucent, plaudentium corona cinguntur, poſtes vero variis coloribus ornantur, feſtis frondibus coronantur. quid multa? ædes illæ, quæ paulo ante inimiciſſimis hominibus ludibrio erant, quæ, contumeliæ cauſa, tanquam ſi cum bajulo aliquo, aut etiam inferioris ſortis homine, res eſſet, lictoribus ac militibus obſidendæ, conculcandæ, ac deturpandæ dabantur, quæ inſcribebantur, earumque pretioſa ſupellex in indicem referebatur ut auctio fieret, atque, tum ædes, tum ſupellex, tum fundi, tum omnia, quæque licerent, venirent præſenti pecunia, atque veniſſent, ſi emtor acceſſiſſet; nunc, inquam, ædes iſtæ, ab omni nexu ſolutæ ac liberæ, in domini ſunt poteſtate, antiquum dignitatis locum obtinent, ac pro contumelia honorem, pro ludibrio reverentiam, pro ſibilo plauſum accipiunt. Ita rerum

omnium

omnium viciſſitudo eſt. At proxima ſuperiore nocte, hora circiter quinta, tanta in omnia Vrbis loca, vis grandinis cecidit, imbri largifluo miſta, tam multa horrifico micantia lumine fulmina, è cælo miſſa, domos jaculata ſunt, tam validi undique venti eruperunt, tam ſævi turbines extiterunt, ut altiſſimas vetuſtiſſimaſque eradicitus arbores extirparint, omnes de tectis tegulas deturbaverint, ædes detexerint, ac non parum multas, pluribus Vrbis in locis, ad terram afflixerint; quæ ex improviſo concidentes, omnes fere, qui in eis erant, oppreſſos obtritoſque interemerunt. non poteſt dici, quanto civitas terrore metuque concuſſa ſit. & quia hoc totum à Deo, peccatis noſtris irato, prodire conſtabat, ſacrarum ædium omnium campanæ, miſerabili ſonitu, ſignum dederunt, ut cuncti in genua procumberent, ut in preces fuſi, à ſeſe divinæ iracundiæ flagella averterent. ut vere Dominus, de turbine, locutus videatur, erudiens nos, ut abnegantes impietatem, ſobrie, pie, & juſte vivamus. Heri audivi, Romam adveniſſe libros, mihi à Cæſio muneri miſſos. ſimul ut accepero, eidem, per literas, gratias agam. Vale. Romæ, Non. Decemb. CIↃ.IↃ C X L V.

X V I I I.

HOdie mane ſacroſancto Miſſæ ſacrificio interfui. ubi ſemel iterumque aures meæ ſuaviſſimis illis Pauli Apoſtoli ad Philippenſes vocibus perſonuerunt: *Gaudete in Domino ſemper; iterum dico, gaudete; modeſtia veſtra nota ſit omnibus hominibus*; hoc eſt, veſtra omnibus in rebus moderatio, cui animi tranquillitas atque ſecuritas reſonat tanquam imago, nota atque perſpicua ſit omnibus hominibus; qui modus cum ab iis abſit, qui ſuis ſe cupiditatibus conſtringendos ab iiſque poſſidendos tradiderunt, omne itidem ab illis gaudium propulſatur atque propellitur. Quamobrem, Tyrrhene, perbeati mihi ii videntur eſſe, qui vel ſua ſe voluntate, vel literarum dulcedine, vel ſuæ ſalutis ſtudio, à Rep. removerunt. nam, quibus ambitio, quæ tranſverſos pleroſque agit, non dominatur, eos ſcias jam poſſe habere ipſum ſuæ vitæ modum. Tum tu igitur, inquies, in Rep.

verſari, negas eſſe ſapientis? Minime id quidem; nam ſi optimo cuique perſuaderi hoc poſtulem, neque mihi neque aliis, qui, tranquillitatem vitæ ſecuti, privatis ſeſe parietibus continent, illud, quod maxime cupiunt, otium accideret; ſed eos ajo, quibus ſe Reſp. permittit, ab odio, ira, inimicitia, avaritia, ſicut tui ſimiles, vacuos, debere ad eam capeſſendam accedere. quod cum à paucis fieri videam, ac vix eſſe quemquam, qui in poteſtatibus ſe ſe contineat, neque in aliquam in Rep. fraudem, cujus poſtea ratio reddenda ſit, non labatur & cadat; tutius eſſe arbitror, nullam Reip. partem attingere, quam in apertum infortunii cujuſpiam diſcrimen ſe ſe committere. In qua ſententia eo magis confirmor, quo plures in mentem veniunt, qui, noſtra patrumque memoria, cum in Rep. principes extitiſſent, cum eorum imperio nutuque omnia adminiſtrata eſſent, cum eorum fidei, pecunia publica commiſſa fuiſſet, poſtea, exacta poteſtate, viſos eſſe moleſtiſſimis litibus implicari, innumerabilibus ſolicitudinibus diſtrahi, omnium fere odio premi, de fortunis omnibus, de vita, de exiſtimatione, ac de fama dimicare: quam peſtem à capitibus ſuis removiſſent, ſi nulla ipſis cum Rep. ratio fuiſſet. Verum, ita eos, qui procul ab ea vivunt, fortunatos judico, ſi ita gaudeant, ut Philippenſes gaudere vult Paulus Apoſtolus; nimirum, in Domino; non autem in ipſorum otio, doctrina, ingenio, multoque minus in voluptatibus ac divitiis, fortaſſe ſi affluant. At, liceat mihi tecum paululum philoſophari; non quidem, ut te præceptis meis inſequar, ut erudiam, ſed ut tecum, id quod mihi datur otii, honeſte conſumam. nam, quid me juvet, nullo ambitionis labore diſtringi, ſi aliis vitiorum generibus implicer? non enim eſt fas, quempiam eo gaudio potiri, quod eſt in Domino, vel cum Domino, niſi eundem, non ſolum vitiis, verum etiam omnibus animi motibus atque fluctibus turbidis, à ratione averſis, vacare contingat. nam, quid eſt vitiis commune cum Deo, à quo, tanquam à fonte, fluminum virtutum divortia fiunt? quid perturbationibus animi, rationi contrariis, convenit cum Deo, qui perfecta ratio eſt, ac mens ſemper placida ſemperque tranquilla? Chriſto penitus adhæreat oportet, cui conſilium eſt, iiſdem

quibus

quibus ille gaudiis exultat, expleri. at, qui Deo adhæret, unus cum illo ſpiritus fit; hoc eſt, de illius ſtudiis, ſua ſibi ſtudia ſunt omnia; eaſdem res, quas ille, ſuorum gaudiorum ſementem ac materiem habet. hæc autem ſunt, contumeliæ, ludibria, verbera, cruces. hæc ſuum ille gaudium, ſuam voluptatem, ſuam gloriam, vocat. quamobrem, qui ita erit affectus, ſi fortunis omnibus evertatur, ſi injuriis ſi contumeliis omnibus oneretur, ſi excarnificetur, uratur, verius atque alacrius, quam Epicurus, & quam quivis alius Philoſophus, dicet, Quam ſuave eſt hoc! quam hoc non curo! Quonam alio argumento, Philippenſibus vehementer eſſe lætandum, concludit Apoſtolus, niſi eo, quod, divino munere, multa, aſpera, acerba, ac difficilia perpeſſi, pro Chriſti nomine paterentur? paulo enim ante dixerat, *Vobis donatum eſt pro Chriſto, non ſolum ut in eum credatis, ſed ut etiam pro illo patiamini.* Me miſerum, quam longe à perfecti Chriſtiani forma conſtat abeſſe, qui, ſi vel verbo uno gravius appellor, continuo exclamo, ingemiſco, ac ferre non poſſum! id adeo fit, quia perfecte cum Chriſto non hæreo, quia non in eorum numero invenior, quibus David Rex ait, *Lætamini in Domino, & exultate juſti, & gloriamini omnes recti corde.* rectum, rectum, inquam, mihi cor deeſt, Deoque ſimile, qui ab eodem Davide, *dulcis ac rectus Dominus* dicitur; ac pravum, abſurdum, ac diſtortum inhæret, nec poteſt placere illud quod illi placeat; ideo, non ſuavis, non dulcis, non bonus, ille videtur, ſed inſuavis, acerbus, atque utinam (quod peſſimum aggreſſu ſcelus) non etiam injuſtus, cum aliquid mihi præter ſententiam accidit, quod non etiam eveniat iis, quibus me antepono. itaque acroama de me illud dici non poteſt: *Quam bonus Iſrael Deus his qui recto ſunt corde!* Sed jam ſatis philoſophatum eſt. impetra tu mihi à Deo, his Chriſti natalitiis, (quæ tibi proſpera ac felicia evenire cupio,) cor rectum, nullaque pravitate ac deformitate diſtortum. Vale, Romæ, XVI Kal. Ianuar. CIↃ IↃ CXLV.

XIX.

HEri, VII Idus Ianuarii, CIↃ IↃ CXLVI, à Patribus Soc. Ieſu comitia novi Generalis ſunt habita, atque ſex ac quinquaginta ſuffragiis, plus minus, creatus eſt Præpoſitus generalis P. Vincentius Carafa Neapolitanus, ſummo genere natus, qui tum Provincialis Neapolitanæ provinciæ munere fungebatur; quem maximæ probitatis animique demiſſionis ajunt haberi. neque obſcura ejus rei argumenta dedit; primum, dum comitia haberentur; nam, cum ſæpius in ſuffragiis, quæ clara voce recitabantur, ſuum nomen pronunciari audiret, verens id quod accidit, ne ipſe plura, quam ceteri, ſuffragia ferret, proſiluit, atque omnibus audientibus dixit, viderent, quid agerent, ſe eſſe indignum, cujus nomen in illis comitiis audiretur, proinde ne longius progrederentur, ſed rurſus, ſe in perpetuum excluſo, ad nova ſuffragia ferenda reverterentur. qui non eſt auditus; ſed ad finem ſunt perducta comitia; quorum hic fuit exitus, ut illi tantus hic magiſtratus mandaretur. deinde aliud, longe majus, animi demiſſi ſpecimen præbuit, cum, tot ſuffragiis, quot diximus, Præpoſitus generalis renunciatus, conatus eſt magiſtratu ſe abdicare, ac vehementiſſimis precibus lacrimas etiam addidit: ſed actam rem egit, nec illa vi & ardore animi potuit impetrare, ut ille Patrum ſapientiſſimorum cœtus alium ſibi Generalem, præter ipſum, vellet. Summus vero Pont. nihil ex illorum legibus immutandum ſtatuit, quamvis id quidam ſupplicaſſent; ſed omnes juſſit, utpote æquiſſime ſanctiſſimeque ſcriptas, integras inviolataſque permanere. Propediem novus Prorex Regni Neapolitani Romæ expectatur, atque à ſummo Pont. in Ædibus Vaticanis, una cum illius uxore, hoſpitio accipietur. Vale. Romæ, III Idus Januar. CIↃ IↃ CXLVI.

XX.

HEſternus mihi dies ſane hilaris ac luculentus illuxit. ô diem pulcrum, amœnum! ô diem Apoſtolo Paulo dignum,

Digitized by Google

dignum, cui ille erat ſolemnis ac ſacer, mihique fauſtus ac felix. atque cœlum ipſum viſum eſt, illi diei favere. nam tum primum ſolem terris aperuit, quem, ob trium fere menſium pluvias, perpetuis nubibus clauſum & obſtructum habuerat. Sed quorſum, inquies, ſpectat, hæc tam feſtiva ejus diei commemoratio? quorſum, inquies? num te ejus fugit memoria, quod ſuperioribus ad te literis ſcripſi, miſſum fuiſſe à ſummo Pont. qui me, ejus verbis evocaret, ut ad ipſum venirem? qui quidem nuncius, incredibili alios voluptate cumulaſſet. quid enim honeſtius, cuiquam poteſt accidere, quam à tanto Principe ultro accerſiri? me autem, magna moleſtia affecit. jam pridem enim ſperandi finem feceram, neque quidquam tam optabam, quam exitum vitæ, juſtorum morti quam ſimillimum. accedebat pudor, mihi à natura ingenitus, quique, jam inde ab ineunte ætate uſque ad hunc diem, me nunquam deſeruit; quo deterrebar, ne in tanti Principis conſpectum prodirem. itaque diem ex die ducebam. verum heri non fuit amplius cunctandum, ſed, vellem nollem, eundum. at in itinere, nihil tam mihi veniebat in mentem optare, quam ut Pontifici, magna aliqua occupatione diſtricto, non eſſet otium, me audiendi atque videndi. ſed ut procœtonem intravi, continuo omnis mihi moleſtia abſceſſit ab animo. nam quid ego commemorem cubiculi Pontificis præfecti, quid intimorum quorundam cubiculariorum humanitatem, qua ſum exceptus? & quia, paulum mihi fuerat expectandum, dum Magni Etruriæ Ducis orator foras exiret, pro ſe quiſque ſedulo faciebat, quo, ſuavibus lepidiſque ſermonibus, eam expectandi moleſtiam mihi leniret. ſed tandem vocor, accurro, intro, atque ad Pontificis pedes, me ſupplex abjicio, eoſque humiliter demiſſeque exoſculor. at ille ſtatim, jubet me à genibus ſurgere. obtempero, ac gratias illi agere incipio, quod dignatus fuerit me ad ſe vocare, & alia quædam, his ſimilia ſingultim effari. at ille primo, ſevera fronte aſtitit, atque, Tibi, inquit, paulum ſum iratus, cogitoque multam aliquam irrogare; ita ne? unus ac dimidiatus eſt annus, poſtquam in hunc locum dignitatis aſcendi, nec tibi venit in mentem, me ſalutatum adire? ita ne, res amicorum tibi ſunt

 cordi?

cordi? cumque ego, pudorem meum, & meritorum inopiam, quæ me ab ejus conſpectu removeret, excuſarem, Tace, inquit, jam tua mihi merita ſunt notiſſima. atque ab hoc aditu, in meas laudes eſt ingreſſus, eaque dixit, quæ pudet me referre. tum rogavit, ut valerem; quot annos eſſem natus. reſpondi, me, ætate, proxime ad ipſum accedere, ſed bona eſſe valetudine, eamque me collis S. Honuphrii, ubi multos jam annos habitarem, amœnitati ſalubritatique acceptam referre. Credo, ait ille; ita enim corporis habitus & color oris loqui videtur. interim inſtabat, urgebat, ut beneficium ab eo aliquod peterem; quod geſtire ſe ajebat illud mihi concedere. at ego, ſatis magno beneficio me eſſe affectum affirmabam, quod, per ipſum, fas mihi fuiſſet, ſanctiſſimis ejus pedibus oſcula figere; ac nihil mihi carius fore, quam, ſi mea ipſi opera alicui eſſe uſui poſſet. quibus ille verbis reſpondit, curaturum ſe, ne mihi opus deeſſet. ne multa, nihil humanius, nihil benignius, nihil illo ſuavius fieri poſſe arbitor. denique multis cum eo ſpaciis factis, multiſque verbis ultro citroque habitis, ab eo diſcedo, plenus hilaritate. Vale. Romæ, VII Kal. Febr. CIↃ IↃ CXLVI.

XXI.

ARbitror, ad te fuiſſe perlatum à tuis, de conſtitutione Pontificia, quæ triduo ante emanavit. Strenam, à te mihi miſſam, lubens accepi; paginam nimirùm, quæ, Chriſti exemplo, nos docet, voluntatem noſtram cum Dei voluntate congruere eique ad nutum præſto eſſe debere. & ſane, nihil mihi poterat eo munere gratius accidere. jam pridem enim hunc lapidem volvo, ut totum me meaque omnia ad divinum arbitrium voluntatemque referam; at, cum res ex animi mei ſententia fluunt pulcre, id me eſſe aſſecutum exiſtimo; verum, ubi illæ, adverſis reflantibus ventis, contrarium curſum tenere cœperunt, continuo id mihi falſo fuiſſe perſuaſum intelligo. nam crucior, angor, ad querelas lamentationeſque confugio, ac voluntatem meam, quam eſſe mortuam opinabar, vivere, ac, divina voluntate expulſa, in me regnare comperio. itaque quoties accidet, ut volun-

tas mea à Deo, cui ſemper debet hærere, recedat, pagina hæc, admonitoris mihi loco erit, ut eam revocem, & eo, unde diſceſſerat, redire compellam. Conatus ſum aliquo te, ſi non pari, at grato tamen, munere remunerare; atque carmen iſtud ſcripſi, quod, ſi non verborum ſententiarumque ſplendore, at ſaltem, ob tui muneris ſimilitudinem, non eſt indignum, quod ſemel à te legatur. Hugo Vbaldinus, plurima te ſalute impertit, ad quem frater tuus, vir humaniſſimus, ſalutandi ejuſdem gratia, heri acceſſit; quo humanitatis officio, ſingulari ſe beneficio ab illo eſſe ornatum, exiſtimat. Vale. VI Kal. Februarii CIƆ IƆ C XLVI.

FIAT VOLVNTAS TVA.

Perche mai ſempre, ogni tua ſanta voglia
In me s'adempi, o mio Signor', mio Dio',
Veſtimi del' tuo amor', celeſte e pio,
E della propria voluntà mi ſpoglia.
Ahi ſento, da mortale ultima doglia,
Stringer', con' dura man', Laſſo, il cor mio,
Qual' or', cieco e ſfrenato empio deſio
A darſi vinto, al' ſuo voler' l'invoglia.
Ch'eſſer' non può colà, ſe non tormento,
Ove teco non regna eterna pace,
E d'alme, a to concordi alto concento.
Ma ſe, del' cor, non leghi, il pie fugace,
Con' ſtretti lacci, al' amor tuo, qual' vento
Spiegherà il vol', là dove a lui più piace.

XXII.

Miror, quod meæ ad te literæ non perferantur, cum nullum iſtuc tabellarium venire ſinam ſine meis, iiſque longis. nunc brevis ſum, quia negotioſus. habenda mihi enim eſt oratio in ſacello Sodalitatis noſtræ, ad Patres Soc. Ieſu, qui Romam, ex omnibus orbis terræ partibus, remotiſſimis etiam, ad Comitia Præpoſiti generalis venerunt. neque mihi, tam moleſtiam affert quod oratio ſit ſcribenda, nihil enim eſt, quod facilius

poſſim facere, quam quod ſit habenda; vereor enim, ne memoria me fugiat; etenim jam diu factum eſt, poſtquam nihil, Latine ſcriptum, memoriter recitavi. quam orationem, poſtquam habuero, mittam ad te ſtatim, ut, cum legeris, tradas Nihuſio, ut cum ceteris imprimendam curet. Obiit, ſubita pene morte, Abbas Cæſarinus, Virginii Frater, & Iuliani filius, ſummo vir ingenio, ſed acri, atque in jaciendo mittendoque ridiculo facetus in primis, adeo ut, ſi quod dictum paulo argutius in vulgum emanaſſet, cujus autor certus non eſſet, ſtatim Abbati Cæſarino tribueretur. Eſt hic Romæ orator Venetus, à ſua Rep. extra ordinem miſſus, ad petendum auxilium contra Turcas; qui magno apparatu, adverſus Chriſtianos, vere primo, qui jam prope adeſt, venturi dicuntur. ſed vereor, ut juvari pecunia poſſit, ob ærarii anguſtias; in quas illud eſt adductum ob bella, quibus, ſuperioribus annis, afflicti ac perditi fuimus, in quæ ſumtus facti ſunt maximi & intolerabiles, ut nihil ex eis, niſi dedecus, quæreremus. Vale. Romæ, non. Martii CIↃ IↃ C XLVI.

XXIII.

QVam vellem, Tyrrhene clariſſime, in comitatu Sodalium Deiparæ Virginis Aſſumtæ, in domo profeſſa Soc. Ieſu, nonis Aprilis, adfuiſſes; quo illi die, ut leges eorum ſunt, ſeptem præcipuas Vrbis eccleſias adeunt. Etenim nihil vidiſſes honeſtius, nihil pulcrius, nihil quod magis viſendum putares. omnes primo mane in Æde Apoſtolorum principis, quæ prima ex Eccleſiis inviſitur, convenerunt. ubi, cum ſimul omnes aram maximam, & Apoſtolorum Petri & Pauli, aliaſque ſeptem, venerati eſſent, certis ac decretis inter ipſos precibus, ne alii aliis moræ ac impedimento eſſent ſi longioribus aut brevioribus precibus uterentur, quod ſolemne etiam in ceteris eccleſiis obſervatum eſt; cum, inquam, in religioſiſſimo illo templo oraſſent ut diximus, cœperunt ſe ad baſilicam D. Pauli conferre, cujus itineris totam illam partem proſecuti ſunt pedibus, quæ habitatur frequentiſſime, hoc eſt, à baſilica Vaticana, uſque ad pontem, olim Senato-

Senatorium, nunc D. Mariæ appellatum. quod iter tum ſpacium illud complectitur, quod adjacet inter eam baſilicam ac portam S. Spiritus, tum viam longam, cujus nullus, ut noſti, videtur eſſe finis, tum etiam tranſtyberinam regionem, magnam in longitudinem patentem. Agminis hic erat ordo. quinque S. Ro. Eccleſiæ Cardinales præibant, Pallotta, Franciottus, Carpigna, Carafa, Cincius; proximi Cardinalibus erant, primi aulæ Romanæ Antiſtites, triginta & eo amplius numero; videlicet Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Rotæ Auditores, aliique, maximis in Rep. muneribus functi. ſequebatur reliqua Sodalium multitudo, ferme ad ducentos, ex omni nobilitate collecta. agmen claudebant tot rhedæ, quot, ad eum numerum virorum illuſtrium excipiendum, eſſent ſatis. neque illi taciti procedebant, ſed clara voce, modo litanias Sanctorum, modo roſarium, recitabant. ad quod ſpectaculum populus, qui concurrerat, mire ſe ad pietatem excitari ſentiebat, adeo ut nonnulli lacrimas vix tenerent. poſtquam igitur ad pontem, quem diximus, perveniſſent, cum jam nullus occurreret cui exemplo eſſe poſſent, ac jam defeſſi eſſent ambulando, quicumque voluerunt, rhedæ ſe commendarunt. reliquum erat, ut, cum magnam ejus itineris partem confeciſſent, feſſis jam de via, ac pulveris plenis, præſto eſſet locus aliquis, ad ſe, quiete ciboque, reficiendos. at non alius ad id aptior viſus eſt locus, quam villa Collegii Rom. Soc. Ieſu, ad D. Balbinæ; in qua, præter loci amœnitatem laxitatemque, triclinium adeſt, multum in longitudinem ac latitudinem patens, adeo ut capiat centum & eo amplius; præterea ferme ibi omnia inveniuntur ad exornandum tot hominibus convivium. ibi igitur de ſymbolis omnes lauto, ac, pro eorum dignitate quibus illud exornabatur, amplo opiparoque accepti ſunt prandio, quod prandium inſtauratum eſt propter eos, quos prima menſa capere non potuit. pranſos detinuit, (antea, quam calor ſe frangeret, & abeundi tempus accederet,) vocum, egregie canentium, concentus, cantuſque ſymphoniæ; ſed in primis detinuit nobiliſſimi ex Anglia hominis, ubi, cytharizare, à principis perſona non abeſt, barbiti cantus; qua in arte ita præſtat, ut Da-

 mónem

monem & Lampum, quorum, tota Græcia, pervulgata ſunt nomina, ſi reviviſcant, ſuperare poſſe videatur. denique omnem, ab eis, ſuperioris itineris moleſtiam abegit, eorumque animis ingentem, ad reliquæ viæ laborem ſuſcipiendum, alacritatem inſeruit egregia P. Io. Pauli Olivæ concionatoris in primis cohortatio; qua perorata, omnes, rhedis excepti, itineri ſe dederunt, ut totum ſeptem eccleſiarum quaſi curriculum conficerent. illud vero non eſt prætereundum, quod admiratione dignum ſane videtur, quod in tanto ſummorum virorum atque omni dignitate principum numero, tum in convivio exornando, tum in epulis in menſam inferendis, tum in ſuo unicuique loco conſtituendo, tum in rhedis conſcendendis, nulla eſt orta perturbatio, nulla confuſio, ſed ſuum omnia locum ac numerum obtinuerunt; denique, quod ex ſententia melius caderet, nihil eſt viſum. Ne multa; ſumma ejus peregrinationis hæc fuit, ut, cum ad Ædem B. Mariæ Virginis majoris omnes perveniſſent, qua Eccleſia poſtremo loco adeunda, totus ſeptem Eccleſiarum ambitus concludi ſolitus eſt, ibique B. Virginem, tum tacitis ſecum precibus venerati eſſent, tum, pulcre pſallentium vocibus conſalutaſſent, cuncti, eo ordine quem ſupra de Eccleſia D. Petri in Vaticano diximus, pedibus ſe in Ædem nominis Ieſu contulerunt, non minori vulgi admiratione ac plauſu quam antea; ubi, vocum ſuaviſſimarum cantu excepti, Deo immortali gratias egerunt, quod ſingulari ejus munere illud ſuſceptum ad divinæ ſuæ majeſtatis gloriam iter ipſis feliciter proceſſiſſet. His actis, domum quiſque ſuam, cæleſtis plenus gaudii, ſeſe recepit. Vale. Romæ, III Idus April. CIƆ IƆ C XLVI.

XXIV.

VEhementer antea mirabar, quid eſſet; cur, cum jam tot menſes atque annos, per viros graviſſimos ſapientiſſimoſque, de communi pace ageretur, ad nullam conditionem pactionemque deduci res poſſet. at nunc, quæ lis orta eſt Romæ, inter Oratorem Regis Philippi, qui venit ut, ſui Regis nomine, ſummo Pont. obedientiam præſtet, & Cardinalem Eſtenſem, meam omnem admira-

admirationem ad ſe attrahit, & à vobis abducit. Etenim, ad hanc controverſiam dirimendam, inanes ſunt Cardinalis Capponii aliorumque ſummorum virorum labores, cohortationes, conſilia, hac illac concurſationes, inanes complures interiores apud ſummum Pont. de hac re conſultationes. quis enim non deſinat admirari, nullum iſtic eſſe finem conſultationum ac deliberationum, cum cogitet, de rebus ad communem Chriſtianorum ſalutem pertinentibus agi, hoc eſt, de bellorum incendio, quod totum terrarum orbem comprehenſum habet, exſtinguendo, de regnis ac provinciis, iis, quibus ademtæ ſunt, reſtituendis, ac de ratione, qua perpetua inter Chriſtianos Principes pax atque concordia concilietur ac firmetur? Hîc vero quid in controverſiam vocatur? pro qua repugnatur? num videlicet orator ille, ad Eſtenſis, qui à Cæſare ad Gallorum Regem tranſiit, domum, ſalutandi ejus gratia, venire debeat, num, ſi eidem in via occurrerit, cogatur rhedam ſiſtere, atque, ut mos eſt, Cardinalibus, via, honoris cauſa, decedere. minutiæ ſunt omnino; at hæ tamen ſive minutiæ ſive nugæ, niſi quam primum illis occurratur, ſeria ducent. nam uterque magnam ſibi armatorum manum comparaſſe dicitur; Cardinalis, ut oratorem, ſi ſe illi contingat occurrere, armorum vi ſiſtere cogat; orator, ut ne cogatur. cui oratori, utpote viro optimo ac religioſiſſimo, nihil tale, puto, veniſſet in mentem, ut privatas offenſiones interpretaretur, in minuendo honore Cardinalitio; Cardinalibus enim, ob præſtantiam dignitatis, honor ille, omnium conceſſu, debetur, nec ſine injuria illis adimi poteſt; ſed, quod agit, à conſultoribus impulſus, quorum conſilio regitur, agit. Sed, quid opus eſt verbis? numquam poſſunt, dum ſumus in hac vita, quæ etiam, ob hominum inter ſe lites ac pugnas, appellari militia poteſt, diſſenſionum ac diſcordiarum cauſæ deeſſe. cum è corporibus exceſſerimus, & in cælum, tanquam in patriam noſtram, pervenerimus, tum veræ pacis fines ingrediemur. unde nullis inimicorum incurſibus exturbabimur. Vale. Romæ, VII Kal. Maji CIϽ IϽ C XLVI.

XXV.

XXV.

NOn expecto, dum ex tuis literis certior fiam, quo loco ſit pacis concordiæque inter Hiſpanos Galloſque negocium. nam, ut nihil ſcribas, pluſquam velim, oculis video, &, plnſquam ſat eſt, permota civitas, & immutata Vrbis facies, exclamat, quo nam illud in loco verſetur; nimirum peſſimo infeliciſſimoque. Galli, ſecundis bellorum eventibus, ferociores ſunt facti; Hiſpani, quamvis multis rebus adverſis fracti ac debilitati, retinent tamen magnos illos ſpiritus, quos natura ipſis indidit, nec volunt, pro temporum varietate, paululum eos abjicere atque deponere. quænam igitur, in tot tantiſque diſcordiarum ac diſſimilitudinis animorum tenebris, ſpes pacis eniteat? Sed, ut ad rem propius accedam, vide, obſecro, quam parva ſæpe favilla illud excitare poſſit incendium, ad quod extinguendum opprimendumque, nulla inveniri ratio poſſit. Orator Hiſpanus, nempe Claſſis Caſtellæ Præfectus (ut alia ejus cognomenta prætercam, quæ multa ſunt;) qui Romam, ad præſtandam ſummo Pont. obedientiam venit, non ſua ſponte, quem virum eſſe optimum ajunt, ſed à conſultoribus incitatus, ut ſuperioribus literis indicavi, ſtatuerat, ac multis etiam audientibus dixerat, nolle ſe Card. Eſtenſi officium ſalutationis perſolvere, neque, ſi fieret obviam in via, eidem decedere, ac rhedam, ut moris eſt, ſiſtere. quod cum Eſtenſi veniſſet ad aures, commotus ille reſpondiſſe dicitur, daturum ſe operam, ut ſibi, ingratiis, ſi ſe daret occaſio, ſiſteret; neque, quod Galliæ patrocinium ſuſcepiſſet, ſatis juſtam eſſe cauſam, cur ſibi honor, Cardinalibus debitus, ſurriperetur. atque, hortatu fortaſſe eorum, quibus, vel commodi ſui gratia, vel ut amicorum inimicitias perſequantur, nihil eſt jucundius, quam omnia perturbari atque miſceri, cœpit milites conducere; primo ex artificum, qui Romæ ſunt, numero; tum, iis prætermiſſis, ex bellicoſiſſimis quibuſdam Apoſtolicæ Sedis provinciis. nec ſibi defuit Hiſpanus Orator; nam, ex nimis Vrbi propinquo Neapolitano Regno, atque ex Columnenſium oppidis, magnam vim hominum Romam evocavit,

evocavit, atque armis inſtruxit. Quam ſcitum eſt, ſtatim malorum initiis occurrere, neque rem pati in id tempus conferri, cum illi, ſi cupias, auxilium ferre non poſſis! nam, ſi, ab initio, eorum conatibus itum obviam eſſet, non eo civitas periculo ac formidine, qua nunc premitur, terreretur. Etenim, dum optimus paciſque ſtudioſiſſimus Princeps, ne illorum animos offendat, nemini obſiſtit, ſed, per internuncios, ad concordiam revocare ſtudet, eas unuſquiſque eorum ſibi copias confecit, optimis armis præditas, ut duorum exercituum ſpeciem referre videantur. denique, illud fuit aggredi neceſſe, quod antea factum oportuit, nempe, pro tempore atque periculo, exercitum comparare, eumque in eas Vrbis partes, unde majus periculum oſtenderetur, diſtribuere, perpetuas per totam Vrbem vigilias haberi, portas claudi, eaſque, quas vitæ neceſſitas apertas reliquiſſet, præſidiis muniri. at hæc tum ſalutaria fuiſſent, cum illi abeſſent, nec in viſceribus Vrbis hærerent, qui nobis negotium faceſſerent. Atque, ſuperiori die Dominico, III Kal. Maji, ejuſmodi, populum hunc, cædis, incendiorum, ac direptionis, terror oppreſſit, ut vix, ex eo periculo ſe eſſe ereptum, exiſtimet, ac nondum ex metu animam recipere poſſe videatur. etenim, ſub veſperam, cum idem orator, ex ædibus Cardinalis Lantis, Collegii Decani, quem, officii gratia, ſalutatum advenerat, exiiſſet, ut ſe domum reciperet, cumque præter quinquaginta & eo amplius rhedas, armatis plenas, quæ eam, qua ipſe vehebatur, honoris ipſius cauſa ſubſequebantur, præter innumerabilem circumpedum turbam, tum ſuorum tum aliorum qui in eo comitatu erant, præter trecentos, ut conjicere licebat ex habitu, honeſtos viros, quos circum ſe, tanquam ſtipatorum catervas habebat, quadringentos ſecum alios, horridos, fuſcos, capillatos, ac ſolis ardore recoctos homines, longis cum ſclopis habebat, partim ex agris evocatos, partim ex exulum, latronum, craſſatorum, eorumque ex colluvie collectos: quos manus latrociniis ac civili ſanguine alit; quorum ducenti antecederent, ducenti agmen clauderent. cum igitur tam magnus eſſet hominum numerus, ut, cuivis inimicorum agmini, terrori atque formidini eſſe poſſe videretur, neſcio quo caſu, unus

ex eis

ex eis ſclopum emiſit; quo ſtrepitu, qui antecedebant, exaudito, arbitrati ſunt, inimicos adeſſe, ac tanta in eos formido ac pavor irrupit, ut protinus in pedes ſe ſe cuncti conjicerent, ac fuga ſalutem quærerent. &, quoniam, ubi pars labat, ſumma quoque turbatur, ceteri etiam, illorum exemplum ſecuti ſunt. ac videre licebat, alios ſe ex rhedis in terram ejicere, ac, relictis armis, in proximum nominis Ieſu templum, incitato curſu, conferre; alios ex circumpedibus, variam veſtem, qua erant induti, ne ex ea, inimici eſſe, deprehenderentur, exuere atque abjicere, varia alios latibula quærere; ubi occultati, inimicorum manus effugerent. Initium fugæ factum eſt à furum ac latronum manipulis, qui antecedebant. hi enim, cum intraſſet animos pavor, ſe præcipites fugæ mandare, in vicinas domos atque palatia conjicere, fores claudere, dominorum fidem implorare, nullam ſpem vitæ in armis, quæ gerebant, ſitam habere. at viginti ex eis, ſuis cum ſclopis, cum in ædes Montis pietatis confugiſſent, à militibus, qui ibidem erant, in præſidio domus collocati, fuerunt excepti, ac, nemine repugnante, in D. Martini Ædiculam, tanquam in caveam, quaſi ſi eſſent aves, incluſi; unde, poſt paulo, Card. Pamphilii juſſu, armis exuti, fuerunt emiſſi: qui, læti, & agentes gratias, Vrbem reliquerunt, ſeque in veteres ſilvarum ac montium latebras contulerunt. ac ſumma Dei benignitate factum exiſtimo, ut Cardinalis Eſtenſis, ſuos milites domi contineret, neque foras egredi pateretur, nam ſi exiſſent ſine dubio, egregii illi bellatores, ad unum omnes, internecioni dati fuiſſent. denique, finis fuit ejuſmodi, ut præſtantiſſimus ac nobiliſſimus ille orator, ab omnibus fere deſertus, ſe ſuas in ædes conferret. Vale. Romæ, Kal. Maji CIↃ IↃ C XLVI.

Biduo poſt, quam hæc ſcripſimus, emanavit in vulgus, controverſias omnes, inter duos illos ſummos viros, ex animi utriuſque ſententia, fuiſſe compoſitas, coram Pontifice. ac mihi fit veriſimile; nam heri viſus eſt, tum Card. tum orator, ex Ædibus Vaticanis, unus poſt alium exire. ſed, quemadmodum inter ſe convenerint, cum in præſentia mihi exploratum non ſit, proximis literis exponam. Iterum vale.

XXVI.

XXVI.

Iam, ut ſuperioribus ad te literis ſcripſi, milites, vel potius latrones, quorum præſidiis ſpes eorum maxime nitebatur, qui rem ad pacem concordiamque deduci nolebant, ex ſclopi unius exploſi ſtrepitu, rati adverſarios adeſſe, in fugam ſeſe converterant, & quacunque curſu contenderent, ne, ex armis, milites eſſe deprehenderentur, ea in cellas vinarias, ex feneſtris clathratis, quæ illis imminent, projecerant, jam ierant, ut rurſus ſe cavernarum ſilvarumque latebris occultarent, ut inde, ferarum ritu, viatores inermes aggrederentur. jam adverſarios etiam ipſos, ut mihi narratur, (quamquam, qui illis favent, id falſum eſſe contendant) aliquis terror inceſſerat, quorum ad centum ne in pugnam educerentur, ſe clanculum ab aliis, fuga ſubduxerant, cum venit, à Prorege Neapoli nuncius, ad Oratorem Hiſpanum, quo admonebatur, ne nimium, præſidiis Regni confideret, ſi eſſet armis dimicandum; ſibi enim, opus eſſe militibus, ad illius regni defenſionem; tum, minime è Regis re eſſe, novis eum tricis implicare; ſatis ſibi negocii, ab omnibus fere partibus, exhiberi, nedum id etiam in ſe attraheret. proinde mandabat Principi Gallicani, quem etiam, in ſuis ad eum literis, Excellentiæ cognomento condecorabat, ut daret operam, quo controverſiæ iſtæ omnino componerentur, & pax, in eas leges quæ ſibi viderentur, conficeretur. quibus literis acceptis, ſtatim Princeps Pontificem Max. adit, literas Proregis oſtendit, ac ſe de compoſitione acturum pollicetur; tum Proregis mandata oratori exponit, ac, ſibi videri ait, ut, quemadmodum antea mos fuerat; Cardinales omnes, tum Hiſpanos, tum Gallos, inviſat, præterea illis ſi fiat obviam, ut via decedat, rhedam ſiſtat; quæ antea, ab iis impulſus, qui, Regis exiſtimationis tuendæ ſpecie, nihil penſi habebant, Civitatem in ſummum periculum adducere, præterea ad vanam fiduciam elati, ſe poſſe, adverſariorum copias, ſpiritu ipſo difflare putabant, facere recuſabat. verum, & Proregis literis & cauſæ æquitate permotus, ſumma animi alacritate, Orator, ad Principis poſtulata deſcendit;

quod

quod Princeps ſtatim Cardinali, qui id maxime cupiebat, enunciat. His igitur inter eos actis conſtitutiſque, v Non. Maji, à Pont. evocantur; apud ſe illi, ad colloquium, qui ſtatim, alia alius via venire properant, adſunt, atque, coram Pontifice, amiciſſime inter ſe ſalutant, colloquuntur, & in primis, falſa ea eſſe, conantur oſtendere, quæ ad ſingulos ipſorum, de altero, delata fuiſſent, conficta ab iis, qui inter ipſos diſſidium eſſe volebant; præterea veterem inter ipſos amicitiam commemorant, jam inde contractam, cum Dux Mutinæ, Regis Hiſpaniarum eſſet in aula. ſed rogatus ab oratore Cardinalis, à quonam accepiſſet ea, quæ falſa fuiſſe conſtaret, reſpondit, ſe, à Siculo quodam audiviſſe, qui eſſet ipſi à cubiculo. at hic, inquit Orator, erat ille, qui ex te audiſſe ajebat, cum diceres, te coacturum me ingratiis tibi ſiſtere, niſi bona cum gratia vellem; ſed iſtuc impune haud auferet. Hæc Pontifex, maxima cum voluptate, audiebat, neque poterat lacrimas, præ gaudio, cohibere, quæ illi ex oculis emanabant; ac laudavit utriuſque æquitatem animi, qui ita propenſe inimicitias deponerent, ab armis diſcederent, ac civitatem metu liberarent. tum fuit autor Cardinali, ut, quo magis, populo, hæc concordia teſtata eſſet, ſua Oratorem rheda tolleret, ac domum reduceret. quod factum ab eo eſt; ac, dum iret, una cum illo, in via, à populo fauſtis acclamationibus excipiebatur. Nunc illi adeo inter ſe diligunt, adeo mutuis officiis complectuntur, ut nihil poſſit eſſe conjunctius. Pontifex poſtridie, tanta ſolicitudine & cura ſolutus, in ſuum ſuburbanum ſe contulit, ibique eum diem hilarem ſumſit. At ille malus, qui tantum incendii conflaverat, domi ſuæ, privatis, ab oratore, cuſtodiis aſſervatur, eique tantum panis & aquæ præbetur, quantum ſatis ſit ad vitam tantiſper protrahendam, dum ea in illum exempla, quæ meritus eſt, edantur. Vale. Romæ, v Idus Maji CIƆ IƆ C XLVI.

XXVII.

SPerabam, Vrbani VIII Pont. è vita diſceſſu, fore, ut aures meæ, armorum ſtrepitu defeſſæ, conquieſcerent;

rent; ſperabam, me vivo, optimo huic Pontifici, pacis otiique ſtudioſiſſimo, nullam cauſam ſe objecturam, quamobrem milites cogere, ſeque Vrbemque, armorum præſidio, tueri compelleretur. Sed me ſpes illa mea fefellit. nam refertam armatis Vrbem aſpicio, tubarum ſonitu, tympanorum ſcloporumque ſtrepitu circumſonare ac perſtrepere omnia audio. cauſam, tanti tumultus, Gallorum exercitus affert, quem Thomas à Sabaudia, pedeſtrium Regis Galliæ copiarum imperator ſummus, in Italia ductat; quæ copiæ, magna ex parte, conſtare dicuntur ex delectibus, in urbibus ditionis Eccleſiaſticæ habitis. quamobrem ſummus Pont. minaciſſimis edictis domum revocat omnes ſibi ſubjectos, qui in aliorum Principum caſtris verſantur, & graviſſimas pœnas in eos conſtituit, qui delectus habere in ſuis urbibus audeant, vel ſtipendium ab externis principibus viris accipere. Sed vereor, ut aliquid proficiat, neve veteri illi proverbio ſit locus: tum demum puteum fodi, cum ſitis fauces teneat. quotus enim quiſque erit, qui edicto obtemperet? nam, dum, mitiſſimus humaniſſimuſque Princeps, hominum gratiæ nimis indulget, dum ſatis facere omnibus ſtudet, dum, otioſus ab animo, alias res agere videtur, nec ſtatim, ab initio, eorum conatibus obſtitit qui ſuas operas venditas atque addictas externis Regibus habent; auſi ſunt illi milites ſcribere, arma atque equos, ex Vrbe, illorum exercitibus mittere, atque alii alia facere, quæ, ut leviter dicam, nemo unquam ſapiens laudabit. nam quoſdam vidimus, prope juſtos exercitus habere, iiſque ſtipatos, in oculis Principis, per Vrbem incedere, ſuas domos, arcis cujuſpiam, & caſtrorum ritu, munire. ut non alias iniquius, ſacroſanctam Pontificis Max. majeſtatem imminutam viderim. Sed, qui tantum ſibi licere putarunt, experientur, eſſe humaniſſimo huic Pont. aceto cor acre in pectore, ac, leniſſimum illum patrem, factum eſſe, ſi uſus veniat, acerrimum. nam ſibi validum comparavit exercitum, quo contumacibus metum, ne commovere ſe poſſint, injiciat. Sed, ut ad Gallos redeam; primum erat omnium opinio, eos invaſuros Savonam vel Finalem; ſed ſuas tandem copias, navibus impoſitas, prope Populoniam, in Etruria, expoſuerunt; ajuntque, Ducem il-

lum, Magno Etruriæ Duci miſiſſe, qui diceret, ut quieſceret, nec ſe immiſceret, neve Hiſpanorum partibus ſtuderet; quod ſi ſecus faceret, Regem inventurum, quod ſit dignum ſe in eum facere. jamque portus S. Stephani, & Telamonis, potiri dicuntur, atque Coſſam (Orbitellum nunc vocant) acriter oppugnare. jure an injuria, non diſputo. Vale. Romæ, XV Kal. Iunii CIↃ IↃ C XLVI.

XXVIII.

Epiſtolæ tuæ, earum, quas adhuc à te accepi, omnium longiſſimæ ac diſertiſſimæ, breviter reſpondebo. cras enim mihi, in noſtra Sodalitate, habendus eſt ſermo de Spiritu ſancto. itaque do operam diligenter, ne imparatus ad dicendum accedam; eoque magis, quod res, de qua mihi verba facienda ſunt, eſt omnium graviſſima ac difficillima, & ii, apud quos dicturus ſum, doctrina, eruditione ac ſapientia præſtant, &, quod caput eſt, judicio ſunt, in notandis animadvertendiſque vitiis, acerrimo. Verum epiſtola tua, pluribus de cauſis, incredibili me voluptate affecit; tum quia erat elegantiſſimè ſcripta; tum quia humanitate, pietate, & eruditione redundabat; tum quia tuum illud ardens, de pace agendi, ſtudium declarabat; poſtremo, quia, non ut antea, de pace, nos deſperare jubebat, ſed contra, magnam ac plane certam ejus ſpem afferebat. Tradidi eam legendam primum Canonico Vbaldino, qui nunc eſt, antiquioris omnibus aliis canonicis, morte, Baſilicæ Vaticanæ Decanus, deinde Cardinali, tui amantiſſimo; cui non ſatis viſum eſt, eam ſemel attente legiſſe, ſed, quamvis plurimorum maximorumque negotiorum occupatione diſtrictus, voluit etiam rurſus attentius diligentiuſque relegere; ac plane vehementerque probavit; cupitque tibi omnia proſpere feliciterque ſuccedere. Gallorum exercitus, qui eſt in Etruria, Oppidum Coſſam, quod Orbitellum vocant, oppugnat; ſed oppidani, atque Hiſpanorum præſidium quod ibi collocatum eſt, ſtrenue illud acriterque defendit. Gloriatus fuerat ille, ad quem ſummam belli permiſit Rex Galliæ, illud ſe brevi ſuam in poteſtatem eſſe redacturum; id enim octo non amplius dierum negotium eſſe,

eſſe. Hic novi quotidie milites conſcribuntur, novæ cohortes, novæ equitum turmæ, conficiuntur, quæ ad oram maritimam, ſi illuc Galli, ejus deprædandæ cauſa, accedant, tuendam mittantur. Aliud, quod ad te ſcribam, nihil habeo. expectamus pacis, ſi ea, ut ſpero, componatur, conditiones accipere. Vale. Romæ, VII Kal. Iunii CIↃ IↃ CXLVI.

XXIX.

ITane obſtinate, tu tuuſque ille, operam datis, ut lepidis Muſarum choris ſim contemtui atque ludibrio? eone me allegatis, unde ſpretus, contemtus, irriſus, referam pedem? quænam hæc eſt conjuratio? quænam, hominis veſtri amantiſſimi illudendi, libido? poſtulare, ut ſenex, incanus, edentulus, capularis, triſtis, lætis, jucundis, amœnis, virginum pulcherrimarum choris ſe inferat, & cum eis ſaltet ac cantet! quid? ut inde referat riſum, contumeliam, damnum! Superioribus diebus, quo tuis parerem imperiis, Muſas adii; petii etiam atque etiam ab eis, ut diſtichon, ruſticæ amici tui ciſternæ incidendum, mihi dictare non dedignarentur. at illæ, ubi me inſpexerunt, contumacibus ſane verbis, Quid tibi nobiſcum eſt, inquiunt, vetule, importune, moleſte? adeone tui es oblitus, ut non intelligas, quid in iſtam ætatem conveniat, qua nunc es? non vides, quam male te deceat, adoleſcentium cœtibus immiſceri? nonne habes ſpeculum domi? abi ſis hinc, niſi mavis, quid iræ noſtræ valeant, experiri. At, illis iratis, quid facerem, niſi tuum nomen opponerem? itaque, non mea ſponte, ſed à te miſſum, dixi, me illuc accedere; ac, fidei faciendæ gratia, literas etiam tuas exhibui. Ne multa; vix impetravi, ut diſtichon ab eis auferrem, quod ſuperioribus ad te literis ſcripſi: cum ecce, nova à te mihi mandata afferuntur, ut aliud ab illis diſtichon, quod ſuperiori addatur, efflagitem. Quonam ore exiſtimas me illarum oculis obtuliſſe? non demiſi me tamen animo, ſed ad conſilium illud recurri, ut tuas illis literas in manus darem; quibus tua ad me juſſa continebantur. accipiunt; aperiunt; ubi nomen tuum legunt, honoris tui gratia aſſur-

gunt, caputque demittunt. ſed, antea quam oculis eas percurrerent, rogarunt, quidnam eæ ſibi literæ vellent. percontemini, dixi, ex ipſis; ipſæ vobis narrabunt. legunt, iiſque perlectis, Non habet Tyrrhenus, ajunt, alium, aptiorem ad id munus, quem mittat? ſed habeat nunc, quod flagitat; hoc illi poſtulatum procedat in numerum; ſed, ſi poſthac te aut alium tui ad nos ſimilem miſerit, ſciat, nos illi dicto audientes non fore. atque, faſtidii plenæ, hos duos, quos poſcis, verſiculos effuderunt, quos ſuperioribus adjungam, ut appareat, num recte illis cohæreant.

Ciſternam in ſilice Alfonſus dat Cynthius, ut, quæ
Fruge nitet tellus, ſit quoque dives aquis.
Cumque, per autumnum, fœcundas exprimet uvas,
Sit, qua largifluum diluat unda merum.

Oſtendi Cardinali totum epigramma, ac memoriter ea omnia enumeravi, quæ eſſent in illud includenda. vix mihi narranti credidit; ac litteras, in quibus hæc ſcripta eſſent, exhiberi ſibi popoſcit. exhibui; nam mecum habebam. legit, ex eiſque etiam cognovit, quam exigua, de pace, ſpes eſſet, atque, Muſas ſatis ex argumento fuiſſe locutas, pronunciavit. Vale. Romæ, Idibus Iunii CIↃ IↃ C XLVI.

XXX.

ADhuc Galli in Coſſæ, hoc eſt, Orbitelli, oppugnatione deſudant, neque expugnare oppidulum illud valent. atque, niſi intra paucos dies ſuam in poteſtatem redegerint, fiet, ut muſcæ ac culices, quibus peſtifer regionis illius aër abundat, vivos eos comedant. multa ſecunda prælia facere dicuntur, atque oppidum illud, quotidie magis, in arctum anguſtumque compellere. Hiſpani etiam ſibi non deſunt, & interdum nunciis, per totam civitatem miſſis, prælia quoque feliciter ab ipſis pugnata, divulgant. ac, Sabbato ſuperiore, fama percrebuerat, pulſos fugere Gallos, pene omnibus copiis amiſſis; ſed inventum eſt falſum. etenim eſt quidam, qui hic Romæ Regis Hiſpaniarum negotia gerit, cui fortaſſe res familiaris arctior eſt, quam Coſſæ oppido ea quæ ſunt

ſunt ad illud tuendum & ad vitæ uſum neceſſaria. hunc cum eſt famulis ſuis ſtipendium ſolvendum, ajunt dicere (ajunt, inquam, quod nullum habeo hujus rei autorem præter rumorem; nec volo, neque meum eſt, homini ceteroqui graviſſimo, meo marte, falſi quidquam affingere) tabellarium ea nocte veniſſe, qui afferat, Gallos ab Hiſpanis magna fuiſſe clade affectos. hoc illi nuncio accepto, advolant ad eos, quibus expedit, ſe rem ita habere, ab eiſque duplices nummos aureos auferunt, eoſque mercedis loco ac numero habent. Atque hodie mane Galli diſſiparunt, Carolum à Gatta, lethali implicitum morbo, decumbere, ex quo nunquam convaleſcat; alii etiam, mortuum eum eſſe, dictitant. quod ſi verum eſt, nec falſo, deterrendi eos gratia, qui Hiſpanorum partibus favent, ab iis jactatur, actum eſt de oppido Coſſa, ac de urbe Senarum, quo, nemo dubitat, quin exercitus ille victor impetum ſit facturus. verum id mihi, neque mirum neque novum accidet. didici enim jampridem, nihil cuiquam eſſe proprium in hac vita, ſed perpetuas quaſdam eſſe rerum converſiones, ut regna atque provinciæ, modo ab uno, modo ab altero, teneantur. Hodie mane Cardinales, collegæ ipſorum, Card. Valenſi Gallo, mortuo, juſta fecerunt. damnum in ejus morte, familia Barberinorum fecit, quia, magna vi, perpetuam ejus defenſionem ſuſceperat, ac paratus erat, adverſus quoſcunque, armis pro illa decernere. Obiit etiam, immatura morte, Roſſani Princeps, Sulmonæ Principis Filius, qui habebat in matrimonio Annam Aldobrandinam; ad quam omnia Aldobrandinorum bona, quæ vix precio æſtimari poſſunt, ceterorum ex ea familia morte, redierant. annum agebat, cum eſt mortuus, tertium vel quartum ſupra vigeſimum. cauſam mortis ſuſtinere ajunt vitam intemperanter actam. exiſtimant adoleſcentes iſti, ætate opibuſque feroces, quidvis ſibi licere, neque adverſam valetudinem, atque adeo mortem ipſam, poſſe quidquam in ipſos juris habere; ſed oſtendit eventus, magis eos, quam ceteros, niſi caveant, adverſis ejuſmodi caſibus obnoxios eſſe. at quo nam meo fato fieri dicam neſcio, ut ego, qui & natura & voluntate à Muſis abhorreo, ſæpe ad carmina ſcribenda, vi precibuſque, compel-

lar, ſive eorum autoritate quibus non poteſt obſiſti, ſive quorundam importunitate atque moleſtia, qui me non ſinunt vivere. modo juſſus ſum à te epigramma, arduo difficilique argumento, ob nimium multa, quæ in illud includenda erant, ruſticæ Cynthii tui ciſternæ incidendum, inſcribere. demiſi caput, atque imperiis tuis obſequens fui; atque, utrum tibi ſatisfecerim nec ne, nondum ſcire potui. nunc vero quidam ex eorum numero, qui pueros inopes, gratuito literas docent, quotidie me verſibus, in meam laudem ſcriptis, inſequitur. rogavi, ut alio ſtylum verteret; atque impetrare non potui. reſpondit enim, ſe non antea ſcribendi finem eſſe facturum, quam epigramma in eum feciſſem, alternis tantum verſibus longiuſculis; quod ſi recuſaſſem efficere, me verſibus obruturum. itaque, quo hanc à me moleſtiam abigerem, ſum coactus, epigramma iſtud, quod ad te mitto ut ſi quid in eo titubatum ſit corrigas, ſcribere. Vale. Romæ, III Kal. Iulii CIↃ IↃC XLVI.

P. CAROLO à S. ANTONIO PATAVIENSI

IANUS NICIUS ERYTHRÆUS.

Tollere ſublimem quid me conaris ad aſtra,
Quem fama exiguum ſerpere cernis humi?
At dedit ipſe quidem tibi carminis autor Apollo
Inclita ſummorum pangere facta virûm.
Grandia ſume igitur, parvis levibuſque relictis,
Illa tuas vires ingeniumque decent.

XXXI.

Qvod ſcribis, nullam iſtic ſpem pacis oſtendi, illud ſcribis, quod è re noſtra & totius Italiæ eſt. nam, ſi Galli, qui tantam nobis negotii vim exhibent, non variis bellorum occupationibus implicati detinerentur, ſed pacem cum hoſtibus facerent, omnes ſuas adverſus nos vires impetumque converterent. perpetuo igitur odio, longiſſime à nobis remoti, cum illis diſſideant, cum eiſque bella gerant, quos ſibi inimicos ſuſceperunt, ſi id in rem

rem noſtram & in uſum Catholicæ religionis futurum eſt. Aliquot jam menſes, in obſidione oppidi Coſſæ ſeu Orbitelli verſantur; ad quod expugnandum, tridui, non amplius, ſpacium, ſibi dari poſtulabant, ejuſque propugnatores ſpiritu ſe poſſe difflare, jactabant: ſed ejus adhuc non ſunt potiti, neque ejus potiundi ſpes aliqua ipſis affertur, quod oppidani, duce Carolo à Gatta, (de cujus virtute tantum dici, quantum eſt re ipſa, non poteſt; nam, quidquid dixeris, minus eſt,) adverſariorum impetus fortiter excipiant ac repellant. eoque magis ſpem oppidi potiundi cogentur abjicere, quod obſeſſis, præſidio venerunt equites bis mille & eo amplius, & pedites ad ſex millia. ut non irridicule urbani quidam homines dictitent, jam debere Gallos deſinere Orbis imperium ſibi arrogare, cum Orbiculum, à ſeſe duce ejecti propulſatique, non poſſint ſibi ſubjicere. ſumma denique huc redit, ut nullo modo nobis expediat, ſi arcem illam obtinuerint, tam prope ab Vrbe habere cervicibus noſtris impoſitos homines tam bellicoſos, tam feros & imperii cupidos. ſint illi domi ſuæ clari ac nobiles, non tamen belli famam & gloriam ex Italia quærant: exteras nationes, quantumvis feras ac barbaras, armorum vi terrere, ſuoque imperio ſubmittere properent; deſinant tamen, ſuis nos armis, infeſtos ac ſolicitos reddere. Quamquam multorum eſt opinio, hoc bellum, non communi totius Galliæ conſilio, fuiſſe ſuſceptum, ſed Italorum quorundam, quorum nunc apud eos potentia ac gratia plurimum pollet, excitatum, ut odio iræque ſuæ conſulant, qua alterum proſequuntur. ſed linquamus ſeria, eaque, quæ nihil ad nos attinent. Pergit vir ille religioſus, ex ſcholis piis, de quo ſuperioribus ad te literis ſcripſi, epigrammatibus ſuis, meum nomen in cælum laudibus ferre, meque, nihili fere hominem, ſuis verſibus aliquid facere; exercendi fortaſſe ingenii cauſa, ut veteres olim oratores, qui inferiorem cauſam, ut illi ajebant, dicendo ſuperiorem facere conabantur. coactus ſum novo epigrammate eum hortari, ut tam ſupervacaneo labore deſiſtat, meque ſi cupiat ex nihilo aliquid fieri, à peccatis atque ſceleribus quibus obſtrictus teneor, exſolvi, eaque meo ab animo, quam longiſſime removeri, in beneficio

ac gratia à Deo efflagitet; tum enim futurum, ut non plane nihil exiſtam.

AD P. CAROLVM à S. ANTONIO PATAVIENSI.

Parce, precor, paleis & plumis addere pondus,
Parvaque carminibus reddere magna tuis.
Sat mihi, qua polles, ars eſt & cognita virtus,
Dum facis eximium, quem patet eſſe nihil.
Vis, aliquid fiam? crimen ſit longius, ora,
Carole; tum Nicius deſinet eſſe nihil.

Ineptum eſt carmen; nec inficior. ac me fortaſſe irridebis, ac deſipere dices, quod, iſtuc ætatis homo, repueraſcere, atque ad illud ludi genus, quamvis honeſtiſſimi, deſcendere poſtulem quod eſt adoleſcentium. ſed in hoc tua aliqua eſt culpa, qui me, nolentem & invitum, intra Muſarum choros, à quibus jampridem receſſeram, compuliſti, cum mihi vim prope adhibuiſti, ut epigramma, ciſternæ incidendum, conficerem. Vale. Romæ, prid. Non. Iulii CIↃ IↃ CXLVI.

XXXII.

Antea nihil mihi longius videbatur, quam dum à te literas acciperem, quæ optatiſſimum mihi pacis nuncium afferrent. nunc autem, nihil eſt quod minus velim, quam mihi literarum à te aliquid dari; non, quia non ſemper gratiſſimæ jucundiſſimæque accedant, verum, quia vereor, ne ſpeculam aliquam pacis & conditionis, cujus antea ita eram cupidus, præbeant. itaque, cum eas accipio aperioque, ex hoc terrore metuque membra contremiſcunt, ac pene à me animus fugit. ſed, cum deinde lego, bella potius aſpera acerbaque, magis eſſe in metu & expectatione, quam pacem; quaſi aqqula ſuffundatur, continuo animus redit. etenim, hanc pacem, video, rebus Italiæ non expedire, in quam arma, quæ nunc reliquas orbis terræ partes concutiunt, labefactant, diruunt, convertentur, urbeſque nobiliſſimas locupletiſſimaſque

maſque expugnabunt, diripient, vaſtabunt. Itaque ſatius eſt, exteras iſtas ferociſſimaſque nationes perpetuo inter ſe armis contendere, ac mutuis ſe præliis confodere, proſternere, ac delere, quam tantam nobis cladem, peſtem, & exitium afferre. Oppugnatur etiam nunc Coſſa, & in uno obſcuro oppidulo, quod ſe, primo impetu, devoraturum jactaverat regia bellicoſiſſimæ nationis claſſis, nequidquam occupata, detinetur. interea omnes fere Italiæ Principes, in alendis exercitibus. quos, metu ac ſuſpicione offenſi, ſalutis ſuæ gratia compararunt, conſumuntur, ac populos ſibi ſubjectos (quid enim aliud faciant?) auro exſugunt atque emungunt. ſolus Innocentius X, amor & deliciæ humani generis, (ô rem miram, ac ſeculis omnibus prædicandam!) cum maximos habeat exercitus, adhuc ne nummo quidem uno cuiquam moleſtus fuit, idque in ſummis ærarii anguſtiis. hunc igitur tam elegantem, tam pium, tam peramantem filiorum ſuorum, Pontificem, quam diutiſſime ſuæ Deus Eccleſiæ ſalvum & incolumem præſtet. Vnum eſt, in quo videtur, in aliquam nonnullorum reprehenſionem incurrere, quod nimis patiens ac lentus exiſtimetur, in vindicandis eorum injuriis, à quibus, ſumma ipſius ac proxime ad divinam accedens majeſtas ita frequenter læditur atque minuitur. at ſapiens videlicet Pont. diſſimulandum in præſentia putat. ſed veniet tempus, ac fortaſſe non abeſt illud longius, cum, depoſita patris mitiſſimi indulgentia, judicis ſeveriſſimi vim & acrimoniam ſumet. Cura ut valeas. Romæ, VII Idus Iulii CIↃ IↃ C XLVI.

XXXIII.

N*Vnc eſt bibendum, nunc pede libero*
Pulſanda tellus,

quum maximo bellorum periculorumque metu, qui Italiæ Vrbique imminebat, ſoluti ſumus, quum Pontifex max. qui magnum exercitum, ad propulſandas injurias, ſi quæ ipſi inferrentur, comparaverat, ſumtu levatus eſt, quum oppidum Coſſa, incredibili Caroli à Gatta Neapolitani virtute defenſum, poſt duorum menſium, & eo amplius, oppugnationem, eſt ab obſidione hoſtium liberatum.

ratum. Etenim, quum, oppugnatoribus, ſive quod ſtipendia & auxilia non mitterentur, ſive aëris peſtilentia, commotis, quæ, in iis præſertim locis, æſtivis ſolibus, ex gravi nebula, à paludibus circumjectis excitata, deſævit, ſive operis difficultate, deterritis, ſpes potiundi oppidi diſceſſiſſet, eo illi conatu deſtiterunt, atque dirutis munitionibus, quibus re frumentaria, omnique alio auxilio, obſeſſos prohibebant, &, incenſis tabernaculis, quibus defendebant ſolis ardores, tormentiſque bellicis, quæ ſe deſperabant poſſe referre, comminutis, ne uſui eſſe hoſtibus poſſent, Telamonem ſe receperunt, ut inde, navibus conſcenſis, revertantur in ſuas ſedes, unde diſceſſerant. Per me igitur, felices abeant licet, & domi ſuæ & quavis alia in parte regnent beati, dum Italia abſtineant, nobiſque negotium faceſſere deſinant. Arbitror, iis animum concidiſſe, qui vana ſpe ejus claſſis elati, Romæ turbari omnia cupiebant. Heri veſperi, ego & amici aliquot, in communi fere omnium lætitia, potavimus pro Ilio, quis ibi noſtrum melior bellator inveniretur, cantharo; atque in eo prælio, præter meum morem, ita me geſſi, ut, ſi adfuiſſes, meque inſpexiſſes, tum vero, tibi viſa eſſet aquilæ ſenectus. Sed, jocis omiſſis; tradita mihi ſunt à P. Virgilio Spada, Emin. Cardinalis Spadæ fratre, volumina aliquot Epigrammatum Marthæ Marchinæ, virginis ſanctiſſimæ doctiſſimæque, nuper extinctæ; cujus ego ingenii imaginem, in tertia mea Pinacotheca, ſum conatus exprimere. in quibus inveni duo Philomathi epigrammata, de C. Cæſaris Commentariis à mure corroſis, oppido ſale elegantiaque refertis; quorum unius, illud eſt initium: *Tot poſt emenſos orbis pelagique labores*; alterius, *Improba quid vates Muſarum cura laceſſit*? de quo argumento ipſa etiam ſcripſerat epigramma unum, argutiſſime lepidiſſimeque concluſum; quidquid dicat cenſor neſcio quis, qui illud ad ſui judicii calculos exegit, cujus etiam cenſura epigrammati ſubjicitur. qui cenſor quid velit quidve non velit, non ſatis adhuc aſſequi intelligentia poſſum. atque ad eum finem tradita mihi ſunt ea volumina, ut, quæ de virginis illius ingenio mea ſit ſententia, paucis exponam, & quo ordine epigrammata illa, ejuſque opera omnia, ſint diſponenda,

nendæ, quum typis imprimentur. nam præter epigrammata ſcripſit etiam odas, epiſtolas Græcas & Latinas. erat enim, non ſolum Latine, verum etiam Græce & Hebraice docta. de qua virgine quid dicam, nihil habeo, niſi, longo intervallo, muliebris eam ſexus conditionem anteceſſiſſe, ac merito poſſe cum Leſbia Sappho, Muſarum decima, comparari, in ſcribendis, inquam, carminibus; nam in ceteris virtutibus, virgo hæc noſtra nihil ad illam. illa tribus, hoc eſt ex more ſuæ patriæ, turpiſſimis imbuta voluptatibus; hæc honeſtiſſimis ac ſanctiſſimis moribus prædita: illa impuro Phaonis amore incenſa, hæc divini numinis ardore correpta: illa, ſaltem animo, meritrix, ſi nihil illi amplius cum Phaone fuit; hæc, virgo, corpore ac mente caſtiſſima, ut perhibent ii, qui, jam inde ab ineunte ætate ejus confeſſiones exceperunt. Sed fuſius hæc omnia, in ejus imagine explicavimus. Vale. Romæ, XIII Kal. Aug. CIↃ IↃ C XLVI.

XXXIV.

SExtam jam horam, poſtquam me lecto commiſi, ſomnum, dum veniat, exſpecto. at ille longius meis ab oculis fugit. interea nudus, ita ut mater mea me peperit, rejectis ſtragulis ac linteaminibus, manu flabellum tenens, mihi ventulum facio, ſi forte per hanc rationem revocare fugientem ſomnum poſſim; ſed fruſtra. hujus vigiliæ meæ cauſam affert fervidiſſimum anni tempus, quod cœpit; eam augent perpetuæ & inconditæ in propinquo natantium voces, quarum nulla non meas venit ad aures; tum, non minus quietem morantur, moleſtiſſimæ beſtiolarum morſiunculæ atque ſuſurri: modo cum muſcis, culicibus, pulicibuſque conflictabamur; nunc, illis è medio remotis, cum cimicibus omnis nobis res eſt; quorum tantus eſt numerus ac tanta fœcunditas, ut, cum unum occideris, decem continuo, ex ejus ſanguine, renaſcantur. quamobrem cum viderem, nullo me artificio, nulliſque machinis, ſomnum capere poſſe, ſurrexi, cœpique has ad te literas dare; cumque nihil eſſet quod ſcriberem, cepi pro argumento id ipſum, de quo narravi. nam Romæ, poſt liberatum ab obſidione oppidum

Coſſam,

Coſſam, mirum eſt ſilentium; neque certum ſciri poteſt, quonam Imperator ille, & claſſis cui præerat, ſeſe contulerit. Summe expectatur, num hic parum ſecundus belli eventus fraudi vel damno futurus ſit iis, qui, ut privata odia & inimicitias (ita enim dici audio,) proſequerentur, tantum, ac non neceſſarium, in Italia, ac tam prope ab Vrbe, bellum excitandi, fuerunt autores; in quo non leve, ut quidam ajunt, florentiſſimi Regni, ac potentiſſimi illius Regis exiſtimationis damnum factum exiſtimant. quod ſi in illos aliqua animadverſio conſtituatur, (præter admodum paucos) nihil urbanorum noſtrorum auribus poterit gratius accidere. omnibus enim cordi eſſe video, Regni illius exiſtimationem ac decus, unde tam multa, tamque ingentia, in Remp. Chriſtianam, & in Sedem Apoſtolicam merita extiterunt. Sed, poſtquam à materia ſcribendi deſtituor, volo me rurſum in lectum recipere, atque experiri, antequam aurora penitus illuceſcat, num ſomnus pertinacia deſiſtat, ac tandem meos in oculos venire dignetur. nam ſi fuerit illi conſilium, in ſententia manere, quidnam boni in poſterum diem expectari à me poterit; qui, præ laſſitudine ac languore, vix ſim futurus apud me? Sed æquo animo id parum incommodi ferre debemus, dum Deus, ab oculis mentis noſtræ, ſomnum abigat, ne unquam obdormiant in morte. Sed illud fueram oblitus, ac volui ſcribere, Turcas, magnos in Illyrico progreſſus facere, urbes nobiliſſimas expugnare, portuum potiri, cædem Chriſtianorum facere, Italiæ minitari. ac vereor, niſi nos Deus reſpiciat, ne id illis ex ſententia contingat. adeo enim, ſuperioribus bellis, noſtras ipſimet opes affliximus, ita magnum Chriſtianorum numerum ad internecionem dedimus, ut illa multitudine, ſi ſana mens fuiſſet, de Turcis ſupplicium ſumere potuiſſemus. quamobrem, cum noſmetipſi nos expugnaverimus, ipſis quieſcentibus; quid illis erit negotii, nos, ſi velint, opprimere? Sed, dolore ex ſuperiorum temporum memoria, impedior, ne plura ſcribam. Vale. Romæ, VIII Kal. Auguſt. CIƆ IƆ C XLVI.

XXXV.

XXXV.

NOvem jam dies ſunt ipſi, cum minus belle me habeo. morbi cauſam in ſummos calores, qui Vrbem incendunt, refero. ad quos depellendos, ſuperioribus diebus, coactus ſum nudus noctu cubare, & interdiu, ad frigus excipiendum, cum antea vehementer incaluiſſem, omnes fere à me veſtes abjicere. at nihil eſt tam ſecundæ valetudini contrarium, quam ſi corpus, modo calor, modo frigus, moveat. Sed, ſi quæras, quibus conflicter incommodis; noctu, perpetua fere vigilia premor, quamvis ſtatim à prandio ſomnus accedat, ac per unam vel duas horas ſopor quidam, non ingratus, totis ſe membris infundat. deinde, ea corporis laſſitudine imbecillitateque corripior, ut, recta ac plana via, vix valeam incedere; ardua atque difficili, nullo modo. nam ſtatim eæ mihi anguſtiæ ſpiritus, eaque animæ intercluſio exoritur, ut reſpirandi facultas adimatur; &, ſi ſcalæ ſint inſcendendæ, in ternis vel quaternis gradibus conſiſtere eatenus cogor, quoad animam recipiam. tum, cibi faſtidium adeo me cepit, ut omnis fere ejus cupiditas fugerit; carnes nullo modo mandere ac deglutire valeo; ovis me recentibus ac peponibus nutrio, qui totas noctes dieſque in puteo demerſi jacuerint. ſitis mihi aſpera dominatur; ac, niſi ratio ac majoris periculi metus cohiberet, nulla eſſet bibendi ſatietas. faxit Deus, quem penes eſt omnium vitæ neciſque poteſtas, ſi denunciaverit ut exeamus è vita, læti & agentes gratias obtemperemus. ſatis diu naturæ viximus. dandus & cedendus eſt locus iis, qui ſerius, quam nos, in hanc, non ita expetendam, vitam venerint. Summa, in Vrbe, pax atque otium agitatur, poſtquam Orbitellum eſt obſidione liberatum, incredibili Caroli Gattæ virtute; qui nunc ſolus circumfluens gloria, omnium admiratione ac benevolentia, in cælum laudibus fertur. ejus oris imago in paginis elegantiſſime delineata, tota Vrbe divenditur; quam, nemo eſt, quin emat, quin habeat, quin aſpiciat, quin ejus cognitione formæ, ad incredibilem ejuſdem virtutis admirationem efferatur. adverſarii mœrent, iraſcuntur, ſtomachantur, & egre-

& egregium tanti Ducis facinus, verbis quantum poſſunt extenuant; atque, Si alibi contigiſſet, ajunt, ut quiſpiam, ob rem tam levem ac nugatoriam, cujuſpiam ducis imaginem deſcriptam, typiſque mandatam, in vulgus edidiſſet, futurum fuiſſe, ut illum pueri lapidibus inſectarentur; ſed Romæ omnia licere. Iam fama in Galliam attulerat, Orbitellum fuiſſe captum, ſummumque Pont. in arcem S. Angeli confugiſſe, atque, Vrbis faciem, ſive potius ſcenam, ut quidam, me audiente, minitabantur, fuiſſe immutatam, hoc eſt, ut ego interpretor, qui modo erat in ſcena Rex, quando alia agatur fabula, fiat ſervus; quique ſervus, pauper, mendicus, Regis partes accipiat. Sed, quidnam dicturos eos eſſe arbitramur, cum audient, rem longe ſecus eveniſſe atque ad ipſos fama pertulerat? quam huic populo gratum accideret, ſi hæc in eos faba cuderetur! videlicet, ſi ii pœnas luerent, qui tanti belli adverſus nos perperam excitandi, autores extiterunt, ut Vrbi, Regis Galliæ ſtudioſiſſimæ, periculum crearent, ac Pontifici optimo innocentiſſimoque metum ac terrorem incuterent. Sed vocor ad prandium; advolo; non cibi, quem plane faſtidio, ſed bibendi cupiditate. etenim, ut ille dixit, ſiti fauces lippiunt. Vale. Romæ, Kal. Auguſt. CIↃ IↃ CXLVI.

XXXVI.

EXiſtimaveram, Tyrrhene humaniſſime, me poſthac nullas, nec ad te, nec ad alium quempiam, literas daturum, ſed te, ab altero, certiorem eſſe facturum, me pituitæ cujuſdam vi, à capite ad pectus defluente, fuiſſe à vita ſecluſum. nam, Sabbato ſuperiore, cum ad inferiores ædium mearum partes deſcendiſſem, ut frigidula quadam aura, quæ ibi leniter ſpirare videbatur, paululum æſtus moleſtias, quæ miſeros nos habent, leviores efficerem; ſubit me, fuiſſe oblitum, neſcio quid amico cuidam meo, quod ſtatim eſſet deferendum, ſcribere. ſurrexi, ſcalas aſcendi; ſed vix ad ſummum perveni, cum in eas ſpiritus anguſtias deduci compellique me ſenſi, ut omnis fere reſpirandi facultas deſereret, atque habui neceſſe, in proxi-

proximam ibi ſellam me pro mortuo conjicere, ibique tantiſper manere, quoad iter animæ, propemodum interclusum, aperiretur. recepta igitur anima, quod ſcribendum fuerat, ſcripſi; tum rurſum eo, unde progreſſus fueram, redii, ac frigidulam illam auram, qua mire recreabar, iterum hauſi; deinde, ſumto pallio, me domo ejeci, & ad lintrem detuli, qua lintrarius vectores ad ripam alteram Tybridis evehit. verum, vix me in terram conjeci, ac ſurſum niti ſum conatus, cum ab iis ſpiritus anguſtiis ſum exceptus, ut, ſi auſus eſſem unum aut alterum paſſum longius progredi, continuo animam, quam ægre retinebam, amitterem. Eſt ab utraque fluminis ripa, ubi paululum aſcenderis, tabernaculum, ex arborum ceſpitibus intextum, ubi vectores, à ſolis æſtu defenſi, expectant, dum cymba ab altera fluminis parte, ad ipſos excipiendos, ſe recipiat. quid facerem aliud, niſi ut ibi me projicerem, expectans, dum anima, ad artus vegetandos, quos pene deſeruerat, rediret? redit; quod reliquum eſt editi loci, conſcendo. rurſus, arctius, quam antea, ſpiritus intercluditur: conſiſto: verum, ubi ille meare liberius cœpit, collectis in unum viribus, ægre, ac vix, in vicum argentarium venio; ſemivivus aſſido; accurrit quidam ex Congregatione Oratorii Romani, cui Deus bene faxit; rogat, quid mihi ſit; narro; petit à me etiam atque etiam, ne antea illinc abeam, quam ipſe revertatur; paulo poſt redit cum geſtatoria ſella, in eaque me, nolentem recuſantemque, quod puderet in ea conſpici, collocat, domum reducit, in lecto conſtituit. ubi quartum jam diem defixus hæreo, præ macritudine, pellis atque oſſa. omnes, uno ore, ſunt autores, id mihi, ob ſtudiorum contentionem contingere; hortantur, jubent, ut plurimum de labore iſto remittam. &, quia prope, vera eos loqui, exiſtimo, ſtatui, bene conſulentibus morem gerere. Quamobrem, ſi poſthac vel rarius vel brevius ad te ſcripſero, peto à te, ne quidquam de mea ſumma erga te obſervantia benevolentiaque imminutum exiſtimes, ſed id valetudinis ſtudio, cujus omnes, natura, cupidi ſumus, conceſſum arbitreris. Vnum eſt, in quo, ſervo tuo, tua plurimum prodeſſe poſſit humanitas; ſi Deum rogaveris, ut det illi pacem propitius, ſalutem, ac veniam.

abeun-

abeundum eſt, ſarcinas colligo, viaticum paro. tu cura ut valeas. Romæ, VI Idus Auguſt. CIↃ IↃ CXLVI.

XXXVII.

SI, cum iſtic omnis ad pacem concordiamque redacta res ſit, continuo bellorum incendia, quibus ardet Hiſpania, Belgium, atque Germania, ad Italiam comburendam perventura ſunt, gaudeo, ac vehementer gaudeo, omnem fere ſpem pacis eſſe occiſam. itaque ii, quibus bella ſunt cordi, quibus libido eſt, ſui fines imperii proferre, procul ab Italia, mutuis ſeſe odiis inſectentur, vim furoremque ſuum inter ipſos exerceant, nullus bellorum ſit finis. verum, ſi, rebus rite compoſitis, eorum opes, qui nunc ſe invicem bello perſequuntur, ad Turcarum perniciem conferendæ ſint; nihil tam eſt optandum, quam ut omnes diſcordiarum inter illos cauſæ radicitus evellantur. At tu, cum bellorum metum nobis imminere ſcribebas, nondum, ut arbitror, audieras, Orbitellum obſidione fuiſſe liberatum, & adverſariorum claſſem, quæ, tanto apparatu, ad illud oppugnandum advenerat, repulſam, diſſipatam, disjectam. nam, ſi hoc reſciſſes, alia tibi oratio fuiſſet, ac magna lætandi cauſa acceſſiſſet ex eo, quod tua Mantua, nimium vicina Cremonæ, illius virtute, tanquam propugnaculo aliquo interpoſito, extrema à ſe omnia propulſaſſet. Omnino nuper compertum experientia eſt, poſſe eos, qui ita ſe ferociter agebant, qui palam minitabantur, capto Orbitello ſe ſtatim ad Vrbem eſſe venturos, ac novas eidem leges, nova jura ſcripturos, denique toti Italiæ jugum impoſituros; poſſe, inquam, ab Italis, ſi adſit dux ſtrenuus, vinci. Itaque hodie, tota Italia, nihil eſt Gatta (id enim eſt duci illi nomen) illuſtrius; atque omnium ore, cantiunculis quibuſdam facetiſſimis, in ejus honorem factis, in cælum laudibus fertur. Scribis, tibi nuper, quamvis alieno anni tempore, cucurbitulis ſanguinem fuiſſe detractum, ad caput exonerandum, quo cogitandi laborem ferre aptius ac tutius poſſit. atque, ſi non potuit aliter capitis valetudo cuſtodiri, & dentes, ne caderent, ſuſtineri; fuit tanti, ut illud incommodum ſubires. mihi jampridem tam multi.

dentes

dentes exciderunt, iique præſertim, quibus cibus conficitur, quos maxillares ſive molares appellant, ut poſſet ex iis ſementes fieri; nam ad unum omnes in ciſtella ſervatos habeo. Sed pituita, a capite in os defluens, dentibus vaſtitatem atque perniciem affert, ac multa nobis mala alia creat. hæc aut inhibenda eſt, aut alio derivanda. atque utinam ea, quæ mihi negotium faceſſit, in dentibus conſtitiſſet ſolis, ibique ſuam vim omnem effudiſſet. etenim, docet uſus in multis quos novi, poſſe etiam eos, quibus ne dens quidem relictus eſt unus, panis cruſtulas rodere, quoniam gingivæ, oſſium duritiem contrahunt. verum, meæ pituitæ ſævitia progreſſa eſt longius, atque in pectus irrupit, tanta vi, ut, quemadmodum ſuperioribus ad te literis ſcripſi, omnem mihi pene reſpirandi facultatem ademerit, & facilem cibi concoquendi uſum interceperit, præterea calorem, in membra omnia, non ferendum invexerit. Sed, è re nata, non peſſime actum eſt mecum. nam poſtquam, meo in pectore, ſibi deſæviſſe viſum eſt ſatis, eo relicto, ut ita dicam, caſtra commovit, & cum omnibus copiis, in crus dexterum abiit. quo facto, mihi libere reſpirandi facultas rediit; tum, labor in concoquendo & inſolitus ille calor abſceſſit. ſed, non propterea ab omni me moleſtia liberatum exiſtimes, immo, novis implicatum incommodis, ſcias. etenim deformis crus inflatio, & inſuper dolor, quoties gradum facere conor, non ferendus, invaſit. quem ego dolorem ne perpeti cogar, habeo neceſſe, vel domi perpetuo manere, vel, ſi major res aliqua urgeat, rheda vectus foras exire. Sed quid tibi vis? hæc atque alia multa incommoda, ſenectus ſecum affert; quæ, ut ceteris aliis malis careat, ipſa, quemadmodum in Phormione Chremes ait, ſola eſt morbus; denique, omnia hæc, ut dictum eſt à Plinio, ſunt pœna vivacis. Cura, ſicut facis, ut valeas. Romæ, XI Kal. Septemb. CIↃ IↃ CXLVI.

XXXVIII.

Vide, obſecro, quonam ſtudium partium abreptum non neminem abſtrahat. Deiparæ Virginis Aſſumtæ pervigilio, eramus ego & pauci aliquot in ſacello no-

ſtræ Sodalitatis; atque aderat unus, mihi non notus, cujus ſi faciem inſpexiſſes, ſi verba, quæ funditabat, ſapientia audiviſſes, ſi naſum, quo ſuſpendebat omnia, eſſes intuitus, non aliquem rerum omnium rudem, ſed Pythagoram loqui, immo Apollinem ipſum reſponſa dare, exiſtimaſſes. hic, cum facta eſſet mentio ejus legis, nuper à ſummo Pont. latæ, quæ jubet, intra certam diem Romæ Cardinales omnes adeſſe, qui in aliorum Regum Regnis atque provinciis detinerentur; hic, inquam, mentum intorquens, Profecto, ait, huic legi dicto audientes non ſunt futuri Cardinales ii, qui eorum in Regno continentur, qui nuper Italiæ bellum intulerunt & adhuc parant inferre. Quamobrem? ajo. Quia, inquit, ea lex illis gentibus non probatur, neque jure lata videtur. Tum ego, admirans, Quid illorum, inquam, in hac re, opus eſt autoritate atque conſenſu? nonne Pontificis Rom. poteſtas à ſolo in eum Deo, tanquam à fonte, defluxit, qui Principi Apoſtolorum Petro, dixit, *Paſce oves meas?* Ille autem, Ita eſt, ait, ut audis. Cumque ego multa ſubjicerem, quamobrem eum de ſententia dejicerem, ille, Bene agis, inquit, ſed lente. Hoc dicto, ille mihi generis nobilitatem ſui aperuit. non enim aliunde illud potuit haurire, quam ex fæce illorum, qui in foro agonali, in ſole, mactant infortunio pediculos, qui inſidias, ipſorum collo, locaverant. Poteram illi reſpondere ut meritus erat; ſed me continui, ne quid ibi ex me turbæ oriretur. verum nihil unquam feci ſapientius: nam poſtea audivi, argentariam eum, Romæ, in primis nobilem facere, &, quidquid eſt ubique vectigalium, redemtum habere, præterea, tantas divitias habere, ut neſciat quid faciat auro. Quod ſi Roma locupletem eum fecit, ſi per Pontificem, qui omnia ipſi indulget, in malacum, ut inquit ille, modum, hoc eſt, in ſumma rerum omnium abundantia, degit; egregiam certe, tum urbi Romæ, quam eſſe ab ejus hoſtibus captam atque direptam cupit, tum ſummo Pont. gratiam refert, cujus autoritatem, quam ſanguine tueri deberet, evertit. Sed plura me ſcribere prohibet dolor cruris, quod præter modum intumuit, atque etiam heri veſperi febriculam mihi adduxit. Vnum addo, calores hîc, magna ex parte, ſe remiſiſſe, ob magnitudi-

nem

nem imbrium, quorum tanta vis decidit, ut quoſdam in agro, cum non haberent quo ſe reciperent, oppreſſos intereмerit. iſtic vero non ſolum calores mitiores eſſe factos, verum etiam exſtinctos, exiſtimo, eorumque in locum frigora ſucceſſiſſe; quod regio, ſub aquilonibus adjacens, maturiores habere hiemes ſoleat. Præterea adoleſcentes, & robuſtioris etiam ætatis hîc plures, lethali morbo correpti, incontinentiæ ſuæ pœnas luunt, ac celeri morte decedunt; quod, ſuperioribus caloribus, cum immodici æſtus moleſtiam ferre non poſſent, largius ſe invitaverint, ac plus juſto ebiberint, tum, ſingulis fere noctibus, in Tyberim, natandi cauſa, deſcenderint. Cardinalis etiam S. Honuphrii, cum, æſtus levandi cauſa, cubicula frigida, atque humo proxima, quæreret, in paralyſin incidit. Sed jam cogor dolori cedere, ac facere finem ſcribendi. Cura ut valeas. Romæ, IX Kal. Septemb. CIↃ IↃC XLVI.

XXXIX.

Legi libentiſſime epigrammata & diſticha, in ciſternam Cynthii tui; quæ mihi viſa ſunt magis vim habere laudationis, quam inſcriptionis. at, ſi mihi innuiſſes, te velle eam à me laudari, fortaſſe, arguta aliqua ſententiola, epigramma concluſiſſem. verum, imitatus ſum, quantum potui, inſcriptionis modum ac formam. Oſtendi ea P. Carolo à S. Antonio Pataviensi, magnæ ſpei adoleſcenti, qui in ſcholis piis pueros docet Grammaticen; ac primum, miſit ad me ſchedam, qua ſuum de epigrammatibus illis judicium aperit, & in fine diſtichon, à ſe factum, addit; ac poſtridie, de eodem argumento, ea ſcripſit, quæ tibi mitto. Bonus hic adoleſceus beat me quotidie carminibus; atque heri epigrammate non ineleganti queſtus eſt mecum, quod verſus, qui ampla in pagina à ſe ſcripti eſſent, lapide tectos, ab auris defenderem, ne jactarentur; qui vero anguſta in pagina continerentur, contemnerem, ac ventis ludibrio eſſe ſinerem. cui ego epigrammati, quia falſo me ab eo accuſari videbam, & ne ſuperbus exiſtimarer ſi nihil reſpondiſſem, altero epigrammate, cujus exemplum ſubjicio, reſponſum de-

di, quo me, falſo crimine accuſatum, ſum conatus purgare.

Cuncta premit nitidum mittis quæ carmina marmor,
Pellere ne valeat mobilis aura loco.
Nec, quæ longa refert prolixaque pagina, tantum,
Sed quæ parva olim charta, ſed apta, dedit.
Quæ quamvis nulla teneantur compede vincta,
Attamen ipſa ſuo pondere firma ſient.

Dices, me otio diffluere, ac pæne repueraſcere, qui ad hos adoleſcentiæ ludos tam ſæpe deſcendam. ſed quid vis? adoleſcentis iſtius ſtudiis, adeo erga me propenſis, interdum non poteſt obſiſti. Doleo, tibi dentes ad unum omnes labaſcere, & caſum minitari; eoque magis tui miſereor, quod in me experior, quid habeat incommodi, paucis atque infirmiſſimis dentibus mandere. quæſo da operam, ſi fieri poteſt, ut convaleſcant atque firmentur. quod ſi aëris iſtius tenuitas ac frigiditas cauſam hujus rei ſuſtinet, omnia iſtorum hominum ora dentibus vacua aſpiciantur oportet. Cruris mei tumor paululum deſedit, & dolor aliqua ex parte abſceſſit; ſolum difficultas reſpirandi manet, atque obſtinate dat operam, ut me miſerum habeat. nam, aſcenſu ingredientem arduo, ita aggreditur, ut, niſi conſiſterem, anima ſpoliatum ad mortem daret. Carolus à Gatta, dux ille, circumfluens gloria, atque omnium fere laudibus in cælum elatus, miſſus eſt iterum Coſſam, ſive Orbitellum, cum militibus mille, ac ſexagies mille aureis nummis. quamobrem? ignoratur; nam claſſis, quæ, re male geſta, hinc appulit Genuam, remigibus ac propugnatoribus nudata propemodum manet, quorum partem, belli furor abſumſit, partem vis morbi graviſſimi, in valetudinariis, lecto implicitos detinet. quæ vero ex Batavis ac Luſitanis conſtare dicebatur, in portu S. Margaritæ ſe continet, ac prohibetur Maſſiliam accedere; quia fama eſt, peſtilentiam in ea graſſari. da operam, ut valeas. Romæ, IV Non. Septemb. CIↃ IↃC XLVI.

X L.

XL.

QVod dentes mihi magna ex parte exciderint, aëri, quo utor, acceptum refero; qui, nimia ſua temitate, deſtillationes à capite excitat, atque ad labefactandos dentes immittit. ego, qui in locis Vrbis depreſſis, &, quod eſt conſequens, craſſiori cælo, ortus, altus, educatuſque fueram, & ad terminos ſenectutis uſque perveneram, in ſenecta contuli me in editum S. Honuphrii collem, & in aërem, longe illi, unde me eripiebam, diſſimilem. quod utinam nunquam mihi veniſſet in mentem; profecto dentes, quos huc attuleram, ſalvos ad unum omnes referrem. Matrona quædam, quæ ab hinc biennium habitat hic viciniæ, queritur, ſine dolore dentes ſibi, radicitus evulſos, ex ore decidere; neque dubitat, quin culpam hæc, quam incolit, regio ſuſtineat. ſed illa, ſapientior quam ego, convaſatis vaſis, commutare coloniam parat. Sed, quid nunc ego, amiſſis omnibus pæne dentibus, faciam? poſſet enim jure, illud de me proverbium uſurpari, *Poſt damnum ſuppetiæ*; immo, ſi abirem, eodem, unde diſceſſeram, mihi revertendum eſſe exiſtimarem, ut, qui reliqui ſunt dentes, quoniam mecum eſſe nolunt, in malam rem irent: ita enim commodius manderem, cum gingivæ, dentium, ut in iis uſu venit qui eiſdem carent, officio fungerentur. Cælum iſtud Germanicum, ſævum, frigidum, atrox, ſub quo vivis, tantum dentibus tuis infortunium creat, & capiti etiam damnum parat; quæſo te, ut caput iſtud tam laudabile & honeſtum, tam utile, tam reip. neceſſarium, incolume, quod valeas, præſtes. Barberinorum cauſa eum, quem ipſi optaverant, exitum habuit; nam Pont. eos, bonis, quæ, ne ad ipſos pervenirent, detinuerat, redditis, in veterem honoris ac dignitatis locum revocavit; amici ac familiares, quos Romæ reliquerant, nocturnis ignibus, artificis manu elaboratis, ante ipſorum ædes, animi lætitiam, quam capiunt, ſignificarunt. Scribit Lappius Trajectinus, vir eruditus, quem te noſſe arbitror, Lutheranum quendam, Laurentio Banco nomine, evulgaſſe, me ſolemne quoddam votum ex Biblicis, ut ille ait, verbis contexuiſſe, ſum-

ipſoque Pont. obtuliſſe, ab eoque, grati animi ergo, Canonicatu Lateranenſi fuiſſe donatum. at vide quam hoc ſit verum. primum, nihil tale ſcripſi. deinde adeo ille nullis me novis redditibus locupletavit & auxit, ut etiam quorundam, quæ antea jure optimo capiebam, expertem fieri permiſerit. quamquam hæc non tam ipſius eſt culpa, qui, ut patet ex hac, quam dixi, in Barberinos benignitate, eſt humaniſſimus, quam quorundam, qui, ut gratiam ab illo ineant, rem facilem & expeditam, in controverſiam revocant, ac nodum in ſcirpo quærunt. Adhuc mihi paululum tumoris in dextero crure reſidet; ſed hic quoque tumor, ſi Deus volet, abibit. Ego nullam fere rationem valetudinis habeo; libenter enim iis cibis veſcor, quorum uſus mihi medicus interdixit. Sed ſatis diu naturæ vixi. tu tuam cura diligentius, ut facis; qui tanto me minor es, cujuſque vita maximo Reip. uſui eſt. Romæ, XII Kal. Octobr. CIↃ IↃC XLVI.

XLI.

RVmor hîc tota Vrbe diffunditur, pacem inter Hiſpanos ac Batavos eſſe confectam, ſive, ut alii volunt, inducias inter ipſos in annos plurimos pactas, quas, jurarint utrique, ſe ſine dolo conſervaturos; idque ab Hiſpanis ſumma ope expetitum, ut Batavos à Gallorum fœdere ac ſocietate disjungerent, ne quod ipſis poſtea negotium exhiberent. neque id ſolum ſermonibus omnium diſſipatur, verum etiam, iis in actis, legitur, quæ, Prætoris Vrbis autoritate firmata atque ſubſcripta circumferuntur. atque adeo id perſuaſum eſt omnibus, ut nefas habeatur, illi contradicere. Ex altera vero parte, cum tu nihil in tuis ad me literis ſcribas, ſed contra, omnia pacis negocia, non ſolum frigere, verum etiam propemodum extincta eſſe, denuncies; jam adducor, ut credam, inanes eſſe rumores iſtos, neque ullis veritatis radicibus niti. Attamen, ſi omnino id eſt quod emanavit in vulgum, idque tu me, qua præditus es prudentia, celatum habueris, ita illud mihi pergratum eſt, ſi è re noſtra futurum ſit, & ad pacem Italiæ redundaturum. Verumtamen ſi homines bellicoſiſſimi, qui ſine bello eſſe non poſ-

ſunt

ſunt, aliquid ad noſtram perniciem damnumque moliantur ex hac pace, nihil eſt quod magis ex animo dolendum putem. Heri allatum eſt ad nos de morte clariſſimi ſanctiſſimique Antiſtitis, Angeli Cæſii, Ariminenſium Epiſcopi; qui Venetiis, ubi etiam eſt mortuus, magna cum laude, apud eam Remp. Nuncii Apoſtolici munus obibat. & ſane, ob penuriam virorum bonorum, interitu talis Epiſcopi, dignitas ejus ordinis non leviter eſt imminuta. erat enim ille apud omnes gentes ſplendori; erat ſpecimen unde exemplum expeteret ſibi quiſque ſimile. Eum, ajunt, in magno ære alieno deceſſiſſe; quod facili negotio diſſolviſſet, ſi vita ipſi ſuppeditaſſet; nam ex fructibus, quos ex ſua locuplete Eccleſia capiebat, magnam vim tritici in horrea congeſſerat, quo vendito, creditoribus ſuis faceret ſatis; ſed nondum emtor quiſquam acceſſerat; verum nunc creditori cuipiam proficere nihil poteſt, quod Cameræ Apoſtolicæ Tribuni ærarii illud ad ſe totum attraxerunt, &, ſpoliorum nomine, quidquid illius inventum eſt eſſe, ad ærarium retulerunt. Æris alieni contrahendi cauſam attulit Nuncii provincia, à Pontifice illi delata, quo videlicet ejus tueri dignitatem poſſet; nunquam enim adduci antea potuerat, ut Attalicis periſtromatis, aut ſericis ſtragulis interiores ædium ſuarum parietes obtegeret; numquam impelli, ut, in cœnis prandiiſque, argenteis patinis patelliſque uteretur; ſed fictilibus erat contentus; quo fiebat, ut nihil in ejus ſupellectile numeraretur, quod alicujus eſſet pretii: quamobrem neceſſe illi fuit, ea omnia coëmere, ne ibi, quo publice ſe conferebat, cum aliquo Sedis Apoſtolicæ dedecore eſſet omnibus deſpicatui atque contemtui. Syri fratres, Io. Baptiſta & Alexander, qui Vrbani VIII ſanctioris ærarii quæſtores fuerunt, ſeptendecim jam menſes, iniquorum hominum calumniis, qui centena aliquot ſcutorum millia, tum ærario, tum Parmenſium Principi, ab illis deberi, falſo affirmant, cuſtodiis publicis aſſervantur, inſignem domi ſuæ aquilam habent, à parvula eductam; nunc autem in eam corporis magnitudinem illa excrevit, ut nullius imperiis regi poſſe videatur. itaque cogitant, facere illi poteſtatem, libere abeundi quo velit; ſed volunt, circulum ex ære, collo eidem

adnectere; in quo diſtichon legatur, cujus hæc ſententia ſit: Syros fratres, dum ipſi longa carceris cuſtodia premuntur, libertatem, qua carent, (corporis, inquam, nam animus ſemper eſt liber,) aquilæ dediſſe. Non potui, ſedulo à me petentibus, denegare; contra præceptum illud, *Nunquam juſſa canas*, quin hoc diſticho, amicis optime de me meritis, morem gererem. non me fugit, quam ſit illud ineptum & inſulſum; volui tamen ſcribere, ne queraris, nullos me ad te verſus, quos ſcripſerim, mittere. lege igitur, inſcitiam excuſa, & vale. Romæ, v Kal. Octob. CIↃ IↃC XLVI.

Dum male longa Syros retinet cuſtodia Fratres,
Carcere me miſſam, qua lubet, ire jubent.

XLII.

Accepi ab Eminentiſſ. Card. Capponio librum Epiſtolarum ad Hugonem Vbaldinum; quem ille multos ſecum annos habuit; in quo Homiliæ in Euangelia, Sermones, Paradoxa Chriſtiana, & alia opuſcula, continentur. quem librum quoniam utilem fore confido, & quia Card. viſus eſt eo delectari, cogito, quemadmodum Cæſius mihi pollicitus eſt, edere, & eidem Cardinali dicare. quamobrem, ſi tibi videbitur, mittam illum ad te, per partes, quemadmodum de aliis feci, ut ad Nihuſium deferendum cures. habeo etiam in promtu tertiam Pinacothecam, quæ à multis expetitur. neſcio an tutæ ſint à latronibus viæ; nollem enim hæc opera perdere, in quibus tantum laborem inſumſi. Peto à te, ut, pro tua humanitate, ad me de his rebus omnibus ſcribas; ut ſciam quid me facere oporteat. Hugo ſeceſſit, animi gratia, in oppidum Capranicæ, ibique, unum jam menſem, hilares ſumit hos dies; qui adhuc pulcri, ſereni, amœnique fluxerunt. Mortuus eſt Epiſcopus Stuſa, magno vir ingenio, multiſque facetiis; quem aliis novæ Pinacothecæ meæ illuſtrium virorum imaginibus addam. P. Moronus, qui Vrbani VIII vitam ſcribebat, ex Soc. Ieſu, repentina morte ſublatus eſt, Claſſis Gallica milites in inſulam

inſulam Elpam ejecit, Populoniam cepit, arcem oppugnat, tum eam quæ eſt in oppido, tum etiam eam quæ ad oſtium portus, quem, ob ejus longitudinem, longonum appellant, ſita, aditum, hoſtium claſſi, præcludit, ne illuc ſe poſſit recipere; ſed adhuc expugnare neutram valet. utinam, re infecta, ſicut antea, diſcedat. magno interea damno Principem Ludoviſium afficere dicitur. Aliud, quod ſcribam, nihil habeo, niſi, me aliquanto commodius valere. tu quoque, qui tanto Reip. Chriſtianæ uſui es, da operam, ut valeas; & caput iſtud tuum, ita laudabile & honeſtum, una cum dentibus, ab aëris iſtius injuria, quantum poteſt, tuere. Romæ, XIV Kal. Novemb. CIↃ IↃC XLVI.

XLIII.

PRimis hiſce menſis Novembris diebus, quibus, in omnibus ubique fere Gymnaſiis, intermiſſa aliquot menſibus literarum ſtudia inſtaurantur ac repetuntur, frequens in Collegio Rom. Societatis Ieſu, invitatus ab illis Patribus, adſui, atque tum eloquentiæ tum aliarum diſciplinarum magiſtris operam dedi; quorum unuſquiſque ſcholis, quas deinceps habiturus eſſet, orationes præmiſit. ex quibus magnam cepi voluptatem; etenim illi ſummas inter ſe ſe habere diſſimilitudines cernebantur, ita tamen ut parem pene omnibus laudem, in diſſimili dicendi genere, ſi te contigiſſet adſuiſſe, tribuiſſes, neque eorum unum quemque niſi ſui ſimilem eſſe poſtulaſſes. ſed IV Nonas hujus menſis, à prandio, longam, ſed in primis elegantem, orationem habuit P. Ignatius Bompianus, ſtatura quidem corporis exiguus, ſed ingenii forma maximus; cui dicenti interfuerunt, Cardinales novem, omnes fere primarii aulæ Antiſtites; ac magnus præterea eruditorum ac diſcipulorum numerus; ejuſque oratio, quamvis longiſſima, ſumma excepta eſt omnium approbatione atque ſilentio. atque gaviſus ſum, magiſtros illos orationem ſuam ad veterum, hoc eſt, Ciceronis, Cæſaris, aliorumque ejus notæ ſcriptorum, ſimilitudinem, à qua ſe abſtraxerant, conformaſſe. nam ſuperiores magiſtri, contra veterem morem, in

fracto, conciſo, obſcuroque quodam genere dicendi verſabantur, ut, quid dicerent, quidque non dicerent, mihi, qui tardo hebetique ſum ingenio, perſpicuum eſſe non poſſet, atque oratio, quæ lumen debet rebus afferre, obſcura eaſdem caligine ac tenebris involveret. Plura alia cogitaveram ad te ſcribere; ſed ea cogor in aliud tempus differre. nam Eminentiſſimus Capponius mittit ad me epiſtolas duas, ex Anglia ſibi miſſas, quibus ſine mora reſpondeo. Vale. Romæ, VI Idus Novembris CIↃ IↃC XLVI.

XLIV.

SCribo ad te, cum nihil ſit quod ſcribam; quia jam diu nihil ad me ſcribis. fierine poteſt, ut omnem de me ex animo memoriam ejeceris? at me nulla unquam tui obrepſit neque obrepet oblivio. altius enim tuorum in me beneficiorum cogitatio mihi inhæret, quam ut eam vis aliqua poſſit eripere. itaque, quoties ſeſe offert occaſio, apud viros clariſſimos, longos de tē ſermones inſtituo, tua ſingularia in Remp. merita ſummis in cælum laudibus effero. quamquam ea ſunt ejuſmodi, ut nihil meo præconio egeant. ipſa ſatis per ſe, iis quibus ea nota ſunt, clamant, ſe eſſe maxima, egregia, ac prope divina. Scio, occupationes tuas eſſe tam multas, tam graves, tamque perpetuas, ut te reſpirare non ſinant; ſed in iis interdum paululum erat loculi, mei erga te amoris obſervantiæque memoriæ, cum, uno ſaltem verſiculo, mihi reſcribebas, te meas accepiſſe, te bene valere, te maximis moleſtiſſimiſque negotiis diſtrictum implicatumque detineri. at hoc uno verſiculo eram contentus, neque eo à te amplius quidquam deſiderabam. Cupiebam fieri à te certior, num tertiam Pinacothecam, & librum Homiliarum, Eminentiſſ. Capponio dicatum, meis ad te literis tuto poſſim committere, ut, Nihuſii noſtri opera, quamprimum typis edatur. Quamobrem peto à te, majorem in modum, ut de hac re ſaltem certiorem me fieri jubeas, atque, ſi ſum dignus qui id à te impetrem, ad me ſcribas, cur nihil ſcribas. Vale. Romæ, IX Kal. Decembr. CIↃ IↃC XLVI.

XLV.

XLV.

CErtior factus ſum à te de morte viri eruditiſſimi, Puteani, qui Lovanii; ubi tanto cum plauſu humaniores literas docebat, exceſſit. & ſane nullam juſtam cauſam invenio, quamobrem homo, ceteroqui humaniſſimus ac modeſtiſſimus, tuis meiſque ad eum literis, quas ab hinc triennium, tuo juſſu, ad eum dedi, reſponſum nullum dare dignatus ſit. quæ meæ literæ nihil continebant niſi plenum humanitatis, officii, benevolentiæque, ſumma cum ejus laude conjunctæ. etenim de me mirum ita videri non debeat, ſi homo obſcurus, meaque etiam æſtimatione, nullius fere pretii, viro doctiſſimo, ſummæque eloquentiæ & eruditionis fama celeberrimo, dignus non ſim viſus, cui reſponderet; at vero, te, eodem, quo me, loco ac numero habitum fuiſſe, id ſatis mirari non poſſum. Vir optimus, ac, tua cauſa, meæ laudis ſtudioſiſſimus, Nihuſius, cui ſi non me plurimum debere profitear, ingratus ſim, ſcripſit ad me, prope eſſe tempus, quo Cæſius, ſolutus ceteris curis atque negotiis, tertiam meam Pinacothecam excudat; ac proinde me admonet, ut incipiam eam mittere in nomine Domini. Confugio igitur ad tuam ſingularem humanitatem, ut opus hoc, tuo patrocinio complectaris, ſicut in aliis antea feciſti. Scriptum eſt literis paulo minutioribus, ut, in mittendo, loci minus occupet, ac celerius ad vos iſtuc perveniat. Aliud, quod ſcribam, nihil eſt; niſi, hîc bellum parari, milites ſcribi, pecuniam ad militum ſtipendia cogi. Vale; atque eum apud te amicitiæ locum mihi conſerva, in quo me collocare dignatus es. Romæ, III Kal. Decemb. CIↃ IↃC XLVI.

XLVI.

IVcundiſſimæ tuæ mihi literæ fuerunt: primum, quia ſignificant, te bene valere; id quod mihi eſt gratum in primis; tum, quia cauſas aperiunt, quamobrem, multis ab hinc hebdomadibus, nullæ, neque à re neque à Nihuſio, ad me literæ venerint; quod ego, ab eo quod mei

vos oblivio cepiſſet, ſuſpicabar poſſe contingere. verum id, militum, quibus referta iſthæc eſt regio, quæ jam diu funeſtiſſimo acerbiſſimoque ardet bello, factum eſt culpa. ii enim tabellarios, ab Italia proficiſcentes, retinuerunt, ne ad vos poſſent accedere. quodnam igitur reſponſum iis dare poteratis literis, quas nullas accepiſſetis? Sed bene actum eſt cum illis, quod non interierint; quod infortunium cum ab omnibus meis literis cupio abeſſe, quæ ad te mittuntur, tum eodem mactari eas minime volo, quæ deinceps meam tertiam Pinacothecam & Homilias apportent; ne, tot dierum ac menſium, tanto ſtudio à me ſuſcepti, labores in irritum recidant. propoſitum eſt enim Cæſio, hæc omnia typis excudere, una cum aliis, quæ à Naudæo, ex Gallia, miſſa, ac propediem adfutura, ut Nihuſius ſcribit, expectat. quod ſi fiet, ut ſpero; non omnino me liberorum expertem exire ex hac vita, continget. Atqui, quod memoriam mei paululum operibus extendam, totum à me tibi referendum eſt acceptum. tu enim autor, tu impulſor fuiſti, ut, quæ ſcripſiſſem, ad te mitterem, ut, me ſuperſtite, imprimenda curarem; tu verecundanti mihi, atque, ex conſcientia meæ infirmitatis, communem hominum lucem metuenti, calcaria addidiſti; tu, ad eam rem, mihi Nihuſium, tu Cæſium, conciliaſti; tu me ſæpius amice ac perhumaniter admonuiſti, ne cunctarer, ne tempus dimitterem, ne tam commodam, tam opportunam, mihi oblatam, occaſionem è manibus effugere ſinerem. Scribis etiam ad me, quonam ſtatu, communis pacis concordiæque negotium, tot jam annis agitatum, exiſtat; nempe eo, quo antea fuit; ac, rumores, qui de compoſitione increbuerant, falſos inaneſque, ais fuiſſe ab iis diſſipatos, quorum intererat, eam in vulgus famam exire. agant igitur Chriſtiani Reges ac Principes, capitali inter ſe odio diſſideant, mutuis ſe invicem præliis oppugnent, vires ſuas exhauriant, ſe opportunos, quo, nullo fere negotio, ſuperari ab hoſtibus Chriſtiani nominis poſſint, efficiant. interim illi urbes Chriſtianorum oppugnant, capiunt, diripiunt; portus, unde quam breviſſimus ſit ad nos commeatus, invadunt, occupant, præſidiis muniunt, firmant, ac, ſumta ex noſtrorum Principum diſcordiis occaſione, dant operam,

ram, ut ipſorum imperium iiſdem, quibus ſolis curſus, finibus terminetur. quod illis video non infeliciter poſſe ſuccedere, ſi Illyrici littoris portus, ut facere cœperunt, obtineant; quid enim tunc eos prohibeat, quo minus, unius diei itinere, valida, qua præſtant, claſſe, mare tranſeant, acerrimo nos, ſtultitia noſtra viribus exhauſtos, prælio invadant, in ſervitutem redigant, vel è ſedibus noſtris exturbent? & , quod ægre mihi eſt, nullos video, ad illorum conatus cohibendos, hîc milites ſcribi, nullos exercitus comparari, nullum fœdus, ad eos opprimendos, iniri; immo, eos aſpicimus, quos maxime deceret hac cura ac ſolicitudine affici, ita noſtrorum ſcelerum pœnis exigentibus, quieto & otioſo animo eſſe. Tu Deum, ut ſit propitius, ora. Vale. Romæ, I V Non. Decembr. CIↃIↃCXLVI.

XLVII.

Ecce alii duo quaterniones Pinacothecæ meæ veniunt, qui iis, quos miſi, jungantur. Noli expectare, dum eos tibi commendem; facerem enim tibi injuriam, qui pluribus in rebus mihi declaraſti, qua benevolentia ſtudioque me meaque omnia complectaris. Brevis ſum, tum quia nihil eſt novi quod ſcribam, tum etiam quia à capite non ſatis belle me habeo, unde ad nares & ad oculos deſtillationes acres ac moleſtæ deſcendunt, biduo ante contractæ, cum ego uſque ad horam tertiam noctis, in aëre frigido, quamvis rheda exceptus, expecto, dum inſignis machina prodeat, digna incredibili illo populi totius concurſu, qui ad eam viſendam eſt factus. conſpiciebatur enim in ea, ſacroſanctum illud B. Virginis & Chriſti Domini domicilium, Angelorum manibus ab urbe Nazareth Lauretum uſque deferri. cujus miraculi memoriam, hic Romæ, Piceni, quorum princeps eſt Eminentiſſ. Card. Pallotta, qui ſummam ad eam rem diligentiam atque operam adhibet, I V Idus Decembr. quotannis, anniverſariis cerimoniis ac feriis, celebrant. erat moles illa undique elegantiſſimis nubibus circumſepta; in quibus, inter cereos accenſos, admirabili ordine, pueri ſymphoniaci, ad centum, erant diſpoſiti, Angelorum

lorum ornatu, qui, tum fidibus tum voce canentes, ſuaviſſimo aures concentu complebant. Antecedebat magnus Picenæ nationis numerus cum cereis, tubicines & tympanotribæ, & muſicorum chorus, ante Chriſti crucifixi imaginem, quæ Siroli ſumma religione colitur. Verum, hæc voluptas, quæ ex illa pompa, quam dixi, percipiebatur, magno Germanis & Anglis quibuſdam, qui ad eam oculis percipiendam confluxerant, ſtetit. nam ſpectaculum ex aſſeribus, Cardinalis juſſu conflatum, cum male firmum hæreret, concidit, ac ſua ſecum ruina illos omnes, qui in eo erant, attraxit; atque alius crus, alius brachium, fregit; alius in facie, alius in capite, vulnus accepit: ac nunc in lectulo, non ſine vitæ periculo, ægri decumbunt. Omnino ſic comparatum eſt, ut fere ſemper, lætitiæ fletus, voluptati dolor, dulcedini amarities, finitima ſit. ſolum nobis, è corporis cuſtodia dimiſſis, & in poſſeſſione æternæ felicitatis conſtitutis, ſecretis malis omnibus, cumulata bonorum complexio continget. Vale. Romæ, prid. Idus Decembr. CIƆ IƆC XLVI.

XLVIII.

QVæ iſthuc mitto, fortunæ arbitrio poteſtatique permitto: nam, ſi quid eorum, vel militum vel prædonum vi, deperiret, nihil eſſet domi, unde ſarciri ejuſmodi incommodum poſſet; nam exemplaria ipſa mitto, ut potes ex lituris, quibus ſunt referta, conjicere; quod à labore deſcribendi, quantum poteſt, abhorream. atque, ne amanuenſem mihi aliquem mercede conducam, rei familiaris anguſtiæ, in quas redactus ſum, faciunt; eo quod temporum injuria, me alioſque, qui eodem calamitatis jure comprehenduntur, ii, à quibus conſultum nobis eſſe deberet optime, bonis, à majoribus meis mihi relictis, exuunt, ad mendicitatem adigunt, perditum eunt; cum ſit jam ferme biennium, cum fructus, quos ex quodam munere, quod, ante annos quinquaginta, aliquot ſcutatorum millibus emeram, capiebam, quodque me tanquam agellus quidam alebat, mihi, quaſi calamitas aliqua, intercipiunt, multaque alia retinent, ne ad me, ut æquitas & ratio poſtulat, veniant. utinam numerarer in iis, quos Paulus

Paulus Apoſtolus laudans, ait, rapinam bonorum ſuorum cum gaudio ſuſtinuiſſe. ſed longe hoc gaudium meo abeſt ab animo, &, in ejus locum, luctus, dolor, mœrorque ſuccedit. at, quoniam adeo imbecillo ſum animo, ut me dolori permittam, quam velim, hic dolor, peccatorum meorum, quibus, ut Deus mihi iratus ſit, merui, maculas ac ſordes abſtergat; ne poſſit mihi Deus objicere impatibilitatem meam, ac dicere, Percuſſi eum, & non doluit; vel ſaltem optandum mihi maxime eſt, ut ſuavius ac jucundius accideret, cum hominibus flagellari, quam, cum ſuperbis, quorum animi, rebus ſecundis inflati, efferuntur, quique miſerorum clamoribus, lacrimis, ac luctibus, quaſi ſuaviſſimo quodam cantu, delectantur, bonis omnibus circumfluere. Sed mihi ſpes eſt, mea hæc opera, quæ in faſciculos diſtribuentur, qui digiti unius craſſitudinem non excedant, fortunam, hiemis iniquitatem, militum barbarorum ſævitiam, atque aſpera & adverſa omnia, habitura eſſe æquiora, quam me eos, quos humanitate æquitateque omni exutos experior. Plura ſcribere me prohibet dolor. Supereſt, ut Deum exoremus, ut anniverſariis hiſce, Chriſti naſcentis feriis, hic diviniſſimus infantulus dignum ſe, in cordibus noſtris, hoſpitium inveniat. Vale. Romæ, XIII Kal. Ianuarii CIƆ IƆC XLVI.

XLIX.

VEniunt ad vos quaterniones alii duo; utinam proſpero ac felici ſucceſſu. nihil eſt, quod tam aveam ſcire, quam ſi operis initium iſtuc ſalvum & incolume pervenerit. nam ſi iter, ut ita dicam, illud, commodum eidem ac ſecundum evenerit, magna mihi ſpes eſt, ceteras ejus partes eundem eſſe exitum habituras. à te etiam atque etiam peto, ut, pro tua in me humanitate, jubeas me de hac re certiorem fieri; nullum enim nuncium poteſt mihi afferri, cujus me, impenſius, fieri participem, cupiam. Legit noſtra Gaſpar Scioppius, vir ille literatiſſimus, & Latinæ in primis linguæ ſcientiſſimus, qui omnia ejus arcana, omnia myſteria, novit; qui in intimas ejus latebras atque receſſus, ad quos nemini ante ipſum

aditus

aditus patuit, penetravit; qui initio Pontificatus Vrbani VIII, cui, Cardinali, ob ſingularem ejus virtutem merito erat gratiſſimus, omnibus admirantibus Roma diſceſſit, ac Patavium Vrbe mutavit: legit, inquam, hic vir noſtra, ac miratus eſt, quum quadraginta annos in Italia, ac præſertim Romæ, fuiſſet, hunc Ianum Nicium Erythræum notitiam ſuam effugiſſe. dedit ad Lucam Holſtenium, Baſilicæ Vaticanæ Canonicum, literas, popularem, ut arbitror, ſuum; ut quærat, inveſtiget, quidnam hominis ſit ille, qui ſub Iani Nicii nomine occultetur; ſe enim exiſtimare, nomen illud eſſe fictum, non verum; deinde, nunquam ſibi poſſe perſuadere, eum, qui ita ſcribat, Italum eſſe, ſed alterius cujuſpiam exteræ nationis. cujus rei id ſumit pro argumento, quod ſuis Ciceronem, Plautum, Terentium, veſtigiis perſequatur. etenim exteri tantum, puta Galli, Germani, Belgæ, autores illos, omnium optimos & elegantiſſimos, conantur imitando effingere, ac prorſus exprimere, Itali non item; qui aliud ſibi ſcribendi genus invenerunt. & in primis Holſtenium eundem rogat, ut ſciat, num Nicius hic in Collegio Soc. Ieſu, à Patribus illis, didicerit. Ego, cum id eſſet ad me perlatum, continuo longas ad eum literas dedi, plenas humanitatis & officii; in quibus me totum aperio, atque omnem, tum præteriti, tum præſentis temporis, meæ vitæ rationem expono. Exſpecto, quid reſpondeat. Vale. Romæ, v Kal. Ianuarii CIↃ IↃC XLVI.

L.

PRoperant alii duo quaterniones; utinam bonis, ut ajunt, avibus, hoc eſt, ut ſalvi perveniant, nec aliqua in itinere calamitate intercepti depereant. Aliquot ab hinc diebus eſt hic Dux Guiſius, qui Romam venit, ut duobus matrimoniis, quorum vinculis, variis temporibus, ſe impedivit, Pontificis max. autoritate ſolvatur. habet enim duas uxores, unam in Gallia, in Belgio alteram. cum ea, quæ eſt in Gallia, matrimonium contraxit per ea verba tantum, quæ præſens tempus, non autem futurum, indicant; quibus verbis, ut te virum doctiſſimum non

non fugit, etiam ſi nihil aliud adſit, matrimonium recte perficitur. nec quidquam ſibi rei amplius cum illa fuit; verum matrimonium iſtud clam eſt inter ſponſos initum; videlicet Parocho non adhibito. quod matrimonii genus Concilium Tridentinum improbat, atque irritum eſſe jubet; ſed, quum Gallia Concilii illius legibus decretiſque ſubjicere ſe noluerit, ſequitur ut matrimonium illud firmum ratumque permaneat. cum ea autem, quæ eſt in Belgio, ex præſcripto Concilii ſe ſe conjunxit; nempe præſentibus teſtibus & Parocho; ac præterea concubitus eſt conſecutus. Expectat vehementer, ut, duobus his vinculis ſoluto, liceat ſibi tertiam adjungere, ex qua liberos ſuſcipiat, generi monumentum & ſibi. Nudiús quartus Eminentiſſ. Capponius, in ædibus ſuis, dedit illi & aliis quatuor prandium, regali propemodum ſumtu. nam ample magnificeque menſam exſtruxit; expoſuit ea, quibus abundat, plurima ac pulcherrima vaſa argentea; nullum edulii, quantumvis cariſſimi, genus hoc anni tempore invenitur, quo non curaverit inſtructum ac paratum ut eſſet convivium. quo completo, introducti ſunt ſymphoniaci & cantores, omnium præſtantiſſimi; qui, quemadmodum epulæ ſuam gutturi ſuavitatem impertitæ fuerant, ita etiam illi, aurium, ut ita dicam, palato oblectamentum afferrent. Quid multa? Vir ille princeps ita diſceſſit, ut ſe honorifice à Cardinali acceptum arbitraretur. Plurimam tibi ſalutem dicit, quem ſcis, Princeps, & proxime acceſſuri initium anni CIƆ IƆC XLVII fauſtum ac felix à Deo precatur. Vale. Romæ, III Kal. Ianuarii CIƆ IƆC XLVI.

L I.

NImis diu privat me fructu humanitatis tuæ, negotiorum tuorum geſtor, vir optimus, dum tuas ad me literas nemini vult credere, niſi famulo meo; qui, ob locorum diſtantiam, nunquam ita mature ad eum venit, quin eundem domo exiſſe comperiat. modo, vix tandem inventus, binas à te mihi literas reddidit, quæ eo me gaudio ac voluptate complerunt, ut eam capere mei anguſtiæ pectoris nequeant. exiſtimabam antea, cultum

& amorem, quo te complector, ita ad ſummum perveniſſe, ut nulla eidem fieri poſſet acceſſio; verum, eidem amoris, proximis tuis literis, cumulus eſt additus, jam ut nihil eo eſſe poſſit ardentius. ſignificant enim, ingentibus te curis implicitum & occupationibus, ut ſomno ac neceſſitati naturæ vix quidquam ſurripere queas. non igitur te plus oculis meis diligam, quem videam, adeo mei memoriam non ejicere, ut, ejus retinendæ gratia, propemodum valetudinis tuæ curam deponas? de quo eas tibi gratias, quibus dignus es, ago habeoque, ac vivus morienſque, plurimum me tibi debere, profitebor. Mitto quaternionem Pinacothecæ alium. utinam, una cum ceteris, quos præmiſi, infeſtas militum ac prædonum manus effugiat. Proximo Conſiſtorio, Card. Pamphilius, novus ſponſus, inſignia Cardinalatus deponet, quo ſe quamprimum Olympiæ Aldobrandinæ, matrimonii nexu, devinciat. hac in re judicia variant. at mihi tantum eſt ab re mea negotii, qui, jam biennium, bonorum meorum, quibus me alebam, fructibus privor, ut neque iſtuc neque alterius cujuſpiam aliquid curem. decet me, his nuptiis bene ominari, ac bona omnia dicere. ita enim caritas poſtulat, qua Chriſtiani omnes, inter ſe complecti mutuo debent, etiam ſi ab altero affecti ſint injuria vel damno. quod non faciunt ii, qui eodem quo ego calamitatis jure comprehenduntur, quibuſque non eadem eſt, ac mihi, religio; qui non ceſſant, diris eos precibus exſecrari, à quibus, tam indignis injuriis, vexantur ac diripiuntur. at illi eorum maledicta & imprecationes, cum voluptate riſuque, excipiunt. miror non illis venire in mentem illud ſapientis dictum, longe veriſſimum: *Maledicentis tibi in amaritudine animæ, exaudietur deprecatio illius.* Vale. Romæ, XV Kal. Februarii CIↃ IↃC XLVII.

L I I.

HEri, XII Kal. Februarii, habitum eſt Conſiſtorium in Quirinali, in ædibus pontificiis, unde nondum Pont. hoc anno exceſſit, neque, ut ſuperiore fecerat, in

Vatica-

Vaticanum ſe contulit, metu Tyberis, qui circumjecta ibi loca inundaverat. ad quas ædes, præter Cardinalium familias, eoſque qui officii ſcilicet gratia illos ſectantur, ingens ceterorum hominum multitudo confluxit. nihil enim quiſquam ita viſendum putavit, quam adeſſe quemquam, qui honorem illum faſtidiret atque rejiceret, ad quem alii, ſumma ambitione, tamque incitato ſtudio, ferrentur. ſed, poſtquam conclamatum eſt, ut ex ea aula omnes excederent, introducti ſunt, nobilis vir, Cincius, Advocatus Conſiſtorialis ac Referendarius, Anguiſciola Protonotarius Apoſtolicus, & Sac. Collegii à ſecretis Fanfanella. tum lectæ binæ ſunt literæ, à Camillo Card. Pamphilio unæ, ad ſumm. Pont. datæ, ad Cardinalium Collegium alteræ. earum, quas ad ſumm. Pont. ſcripſerat, ſumma hæc erat, ſe, ſanctiſſimis illius pedibus advolutum, quam poſſet ſubjectiſſime ac demiſſiſſime eum orare, ut ſibi liceret Cardinalis honore ſe abdicare. etenim, jam inde ab ineunte ætate, alienum à clericali militia animum habuiſſe, ſed ipſius jubentis imperio coactum fuiſſe nomen illi dare, & inſignia Cardinalatus accipere; nunc vero, & familiæ ſolitudinem, ad unum ipſum redactæ, & conſcientiæ ſuæ, cui in primis conſulendum eſſet, rationes expoſcere, ut, poſitis humi genibus, maxima vi animi ac reverentia, ab eodem, etiam atque etiam, poſtularet ac peteret, ut, bona ipſius cum venia, novas cogitationes & nova conſilia, quam maxime rationibus ſuis apta atque expedita, ſuſciperet; id enim maximi beneficii gratiæque loco ſe habiturum. multaque alia, in hanc ſententiam, ſuppliciter ac demiſſe addebat. Epiſtola vero, ad Cardinales data, hanc ſententiam continebat, ſe maximas, ingentes, & immortales illis gratias agere atque habere, quod cooptatum ipſum ab Innocentio X, patruo ſuo, tanta animi propenſione, alacritate benevolentiaque, in ampliſſimum ſuum ordinem eſſent dignati excipere; ſed nunc, neceſſariis quibuſdam rationibus adductum, quas non eſſet neceſſe commemorare, cogi ſe, tanto tamque inſigni in ſe beneficio, non amplius uti, ſed illud ipſis, unde prodierat, remittere; verum nullum tempus futurum unquam, quo illorum, in ſe beneficiorum memoria ac fama moriatur. atque alia his, non

parum multa, accedebant. Vale. Romæ, x i Kal. Febr. CIↃ IↃC XLVII.

LIII.

Bene ſit humaniſſimis, ſuaviſſimis, & eloquentiſſimis literis tuis, quæ fere ſemper aliquod mihi nuncium apportant, quod incredibili me voluptate perfundat. modo enim mihi ſignificarunt, tertiæ meæ Pinacothecæ initium incolume iſtuc ac ſalvum perveniſſe. atque, ſi ex initiis judicare licet de iis quæ mox conſequentur, magna mihi ſpes eſt, reliqua, quæ adhuc miſimus, quæque deinceps mittemus, eundem eſſe exitum habitura. Magnum eſt hic Romæ ſilentium de nuptiis, quæ ſunt celebrandæ, inter eum qui cum Galero fecit divortium, & viduam illam, genere, divitiis, ac forma, longe clariſſimam, quæ illius ad ſe amorem attraxit. uterque adhuc latet, neque per Vrbem incedens, oculis civium ſe ſe committit; niſi forte, ut nunc ſunt mores, vulgari aliqua rheda, undique clauſa, tanquam cavea, incluſi, hac illac circumferantur; quod ſit veriſimile. ſumme cupiunt omnes, eum, quem modo purpura fulgentem viderant, gladio præcinctum, auro gemmiſque nitentem, aſpicere. At mihi nulla ejuſmodi cupiditas ineſt, immo magis cura ac dolor ille infixus animo hæret, qui me dies noctesque angit, quod, jam biennium, mea mihi bona intercipiantur, ne, de meo, meis ſuppeditare neceſſitatibus poſſim; atque, ut initia ſe dant, magnus mihi metus impendet, ne paulatim, bonis omnibus amiſſis, hoc extremo vitæ meæ tempore, fame conficiar, ac jejunus, & effertus fame, nomen commutem, atque, ex Nicio Erythræo, Eſurio appeller. Video, quidquid à Deo, ob peccata noſtra, damni malique immittitur, æquo eſſe animo ferendum; ſed facere non poſſum, quin, quoties hæc tam acerba tamque indigna bonorum meorum direptio meum animum ſubit, vehementer angar ac crucier. Magni, in Italia, ab Hiſpanis, bellorum apparatus fiunt, quibus, vere ineunte, Gallis obſiſtant; qui jam, una cum barbaris & catholicæ fidei hoſtibus, fœdere ſibi conjunctis, Italiæ appropinquaſſe dicuntur. quod ſi vera eſt fama, eoſque in Italiam irrum-

irrumpere, & ſecunda facere prælia, contingat, quantus Romanæ Vrbi metus impendet, cui, jam pridem illorum impietas, avaritia atque barbaries inhiat! Itaque, ut tu nihil moneas, omnem, quæ de communi totius orbis terræ pace ſpes erat, decollaſſe jam video. Vale. Romæ, Kal. Februarii CIↃ IↃC XLVII.

LIV.

NVper ad amicitiam Equitis Maſſei, Lucenſis, genere, opibus, ingenio, cum primis ſuæ civitatis, mihi aditus patuit. cumque accepiſſet à pluribus de eo obſequii, cultus, familiaritatiſque nexu, quo tibi devincior, cœpit miros de tuis virtutibus ſermones habere, eaſque maximis in cælum laudibus ferre; dixitque, dum eſſet Feliniæ, maximum ſibi tecum conſuetudinis amicitiæque uſum interceſſiſſe, ac dies ſæpe integros, ſuaviſſimis jucundiſſimiſque, de rebus ad elegantium literarum ſtudia pertinentibus, colloquiis traduxiſſe. & ſane retinet memoriam tui, ſumma cum benevolentia & amore conjunctam; atque imperavit mihi, ut te plurima ſalute, ſuis verbis, impertirem. Credo, literis amicorum, tibi fuiſſe allatum, de nova vitæ, ab ipſo acceptæ, ratione. etenim, virum illum, ut noſſe te arbitror, omni vitæ elegantia exculiſſimum, qui nihil tam laborabat, quam ut afflueret omni lepore ac venuſtate, dextera excelſi ad contraria illis ſtudia cogitationeſque traduxit. profectus erat in Hiſpaniam, una cum fratre, publice à ſua Rep. legato, ad Regem illum, maximis de rebus, miſſo, ut eum conſilio & prudentia, qua præſtat, juvaret; ſed multo magis, ut mores ſuos ad amorem amœnitatemque omnem conformaret atque componeret. ſed Deus, qui deridiculo habet cogitationes hominum, & novit quia vanæ ſunt, lethalem in eum febrim immiſit, quæ, ejus ab oculis, animi tenebras, quibus impediebatur ne veritatis lucem aſpiceret, diſcuſſit, eidemque, quantis erroribus implicaretur, oſtendit. itaque cœpit excogitare de vitæ genere commutando; atque veniebant illi in mentem, variæ religioſorum hominum familiæ: ſed plures ſimul occurrebant cauſæ, ne earum cuipiam nomen daret. ſed,

 dum

dum maxime harum cogitationum fluctibus agitaretur, incidit in Siculum quendam ſacerdotem Congregationis Oratorii, qui tempeſtatem illam ſedavit, & fluctuantem ejus animum in tuto tranquilloque conſtituit. nam mores, conſuetudines & inſtituta ejus Congreg. illi aperuit, ſimulque leges, quibus S. Philippus Nerius eam temperavit, legendas tradidit. quæ cum maxime cum animi ſui ſententia congruere offendiſſet, decrevit, inſtitutum illud amplecti; Romamque ſe contulit; ibique, re cum P. Ioſepho Manſio communicata, populari ſuo & amico, ejuſdemque Congreg. ſacerdote, dedit operam, ut in eum ordinem ac numerum admitteretur. nec fuit illi magnopere laborandum, ut impetraret. ejuſmodi enim homines, ea nobilitate, eo ingenio, iis moribus, quibus ille, ſunt invitandi, & hilariter, cum venerint, excipiendi, non autem repellendi, aut ægre admittendi. itaque, breviarium pro gladio, togam pro pallio, ſuave Chriſti jugum pro honorariis militiæ Melitenſis inſignibus, accepit. Iam, intra paucos dies, Pont. Max. privilegio, ſacris initiatus, quotidie rem divinam facit. Summus Pont. ſententiam illorum, utpote fidei Catholicæ contrariam, de cathedra ut ajunt, damnavit, qui aſſerunt, ac libris editis docent, Petrum & Paulum æqua poteſtate Pontificatum max. Romæ geſſiſſe, iis verbis præſertim adducti, à Romanis Pontif. in ſuis conſtitutionibus apponi ſolitis, qui Pontifices, cum aliquid jubent vel prohibent, id ſe Petri ac Pauli Apoſtolorum autoritate facere inquiunt. unde novæ hujus autores ſententiæ confici volunt, Eccleſiæ univerſæ regendæ partes utrique fuiſſe permiſſas atque conceſſas; quod pugnat cum Euangelio, ubi diſerte Chriſtus ſummam hanc in Eccleſia poteſtatem, primum Petro pollicetur, cum dicit, *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & tibi dabo claves*; poſtremo, eandem illi defert, verbis illis, *Petre paſce oves meas.* quamobrem poſthac, quicunque illius ſententiæ propugnator extiterit, numero hæreticorum, hoc eſt, Catholicæ religionis hoſtium, habebitur. Vale. Romæ, VI Idus Febr. CIↃ IↃC XLVII.

L V.

DVas à te accepi epiſtolas eodem die, quarum una ſpem pacis afferre videbatur, altera, quæ erat recentior, rem adhuc dubiam & incertam eſſe, ſignificabat. tiam ſcribis, toto animo atque omnibus viribus dari operam, ut pax conficiatur. quod ſi te ſpes, quam habes de ea, fefellerit, deplorandas tibi eſſe, ais, calamitates, quas impendere miſeræ Italiæ vides. legimus utramque epiſtolam Eminentiſſimo Principi, qui mirifice laudat ſtudium ac diligentiam tuam. idem fecit mihi copiam legendi libellum, qui nuper apparuit, cujus, titulus eſt, Bibliotheca Gallo-Suecica; in qua Bibliotheca, libri plures contineri dicuntur, quorum tituli, ab autore, à quo conficti ſunt, enumerantur, omneſque ad id bellum pertinent; nimirum, num illud ſit jure ſuſceptum, num recte fœdus cum hæreticis initum; de cauſis, conſiliis, cupiditatibus, quibus eſt geſtum; de eorum aſtutiis, qui verbo, ſe eſſe cupidos pacis, oſtendunt, re ipſa à nulla re magis abhorrent, aliaque his ſimilia non parum multa; præterea urbes, ubi libri illi ſint editi, tabernæ bibliopolarum, &, ne quis errare poſſit, ſigna, eiſdem præfixa, in quibus venales habentur, non magis argute atque ridicule, quam docte eleganterque ſignificantur. ac mihi autor illius operis videtur oppido doctus, ingenioſus, & in primis gnarus earum rerum, quas in iis libris in diſputationem vocari, per jocum affirmat. Avemus ſcire, quid tu, vir prudentiſſimus, de eo libello judices. nam, in iis regionibus, in quibus verſaris, eum eſſe ortum, & à Germano aliquo conſcriptum, omnes fere pro certo exiſtimant. Quid de mea tertia Pinacotheca fieri cupiam, ex literis, quas ad Nihuſium ſcribo, cognoſces, in quo mihi videtur ſtudium illud ardens, maxima ex parte, refrixiſſe, quo incenſus, res meas amplectebatur. etenim multas ait eſſe cauſas, quamobrem mihi hac in re, ſicuti olim in aliis, alicui uſui eſſe non poſſit; literulas minutas, quibus quaterniones ſcripti ſunt aliquot, fenectutem, vires magna ex parte amiſſas, ædium ſuarum ab impreſſoris officina diſtantiam, damnum, quod faceret, ſi ſuis ne-

gleċtis, aliena negotia curaret. atque his alia etiam adjicit, ut videre licet ex epiſtola, quam ad me ſcripſit. quocirca peto ab eo etiam atque etiam, ut, ſi ſibi ſit incommodum, ſi moleſtum, ſi pernicioſum, meo dare operam negotio, ſi etiam exiſtimet Cæſium illud ægre ſuſcepturum, librum mihi quamprimum remittat; non enim defuturos, qui ſtatim illum Venetiis, vel etiam Romæ, imprimendum curent, ſi non ita elegantibus typis ut ſunt illi, certe non minori ſtudio ac diligentia. quæſo te, ut, in eo recuperando, mihi ſis adjutor. Hodie mane, factæ ſunt nuptiæ illæ, tamdiu expectatæ, nempe, quibus Excellentiſſ. Princeps Camillus Pamphilius, Excellentiſſimam Olympiam Aldobrandinam, duxit uxorem; neque factæ ſunt in Vrbe, ſed in villa Aldobrandina, Turri nova nomine. ſacrum nuptiale fecit, ac cærimoniis, ex Eccleſiæ Catholicæ ritu ad nuptias adhiberi ſolitis, functus eſt, Ferentini Epiſcopus, qui nunc Eminentiſſ. Cardinalis Vicarii vices gerit. Huic connubio, me Chriſti lex jubet, felicitatem, ſobolem, & bona omnia, precari. ſed pecuniæ annuæ, qua me & familiam meam ſuſtentabam, jam ferme biennium mihi interceptæ, dolor id prohibet facere. at mihi fixum ac deliberatum eſt potius, divinis imperiis obtemperare, quam dolori meo, quantumvis juſto, ſervire. læti ſunt illi, immo redundant hilaritate atque lætitia. quam vellem perficerent, ut ego quoque, me in eorum nuptiis hilarem redderem! quo nihil illis eſt factu facilius. non enim peto, ut aliquid mihi de ſuo largiantur. quod ſuum eſt habeant, teneant, nihil cuiquam illius impertiant; eorum felicitati, fortunæ, commodis, non invideo; ſed ſolum efflagito, ut meo me uti, tanquam viatico, ſinant, ad reliquum viæ, quod reſtat, conficiendum, illudque ab adulatorum iniquitate, in quibus omnis fere reſidet culpa, defendant. ii enim, ex aliorum damno detrimentoque, ſibi viam ad opes honoreſque, quibus inhiant, cum vera niti non valeant, muniunt. Sed ego ſtultus, qui, rebus humanis uti ex mea libidine poſtulem, non autem ex Dei immortalis arbitrio, qui rectius quam nos, quid rationibus noſtris expediat, novit. Vale. Romæ, IV Idus Februarii CIϽ IϽC XLVII.

L V I.

L V I.

HEri venit ad me adoleſcens nobilis, ex Saracenorum familia, elegans ac venuſtus ac ſcitus in primis, qui, mihi, à V. C. fratre tuo, literas reddidit, plenas humanitatis & officii; quibus me etiam atque etiam rogabat, ut Calanium de Aciaria, Eminentiſſ. Principi commendarem. etenim, à Sereniſſ. Magno Duce Etruriæ, numeratur in iis, quorum uni Epiſcopatum Cluſinum, nunc ſuo rectore orbatum, demandari à ſummo Pont. velit. & quamvis ea mihi cum eodem Calanio neceſſitudo intercedat, quamvis hominis virtus, probitas, doctrina, ſit mihi adeo nota atque perſpecta, ut, ob eas cauſas, nihil ſit tam arduum, nihil tam difficile ac laborioſum, quod, pro eo ſuſceptum, non leve, facile, ac jucundum ſit futurum; tamen dici verbis non poteſt, quanta mihi alacritas ac ſtudium, illius commendatione, ad Calanii dignitatem amplitudinemque, quibus rebus poſſim, tuendam augendamque, acceſſerit. itaque ſibi perſuadeat velim frater tuus, quemadmodum etiam ad eum ſcripſi, quantum ego apud Eminentiſſ. illum Principem, magis ab eo mihi permiſſum quam vendicatum à me, poſſum, totum, ad Calanium illi commendandum, me eſſe adhibiturum. quamquam non magnopere in hoc mihi eſſe laborandum videam; ea enim eſt hominis virtus, ut ipſa ſe ſola per ſe ſe poſſit, ſine cujuſquam opera, apud quoſcunque in amore & gratia conſtituere. ac bene cum Rep. Chriſtiana ageretur, ſi omnes, qui ſingulis Eccleſiis præficiendi eſſent, Calanii ſimiles invenirentur. Hugo Vbaldinus te, quem vehementer admiratur & colit, plurima ſalute impertit; qui mecum una eſt occupatus, in fabula quadam, hiſce Bacchanalibus feriis, ab alumnis Seminarii Vaticani, cui ipſe præeſt, danda: cupimus enim, ſaltem actorum virtute, eam ſtare, non autem eorundem vitio exigi. Hanc ego comœdiam feci Italico ſermone; cujus utinam te ſpectatorem haberem; nam data eſt opera à me, ſi tamen aſſequi potui, ut ea ex Ariſtotelis aliorumque magiſtrorum præceptis ac legibus formaretur; cujus rei tu, ſingulari judicio ac doctrina

præditus, optimus judex exiſteres. exſpecto, poſtquam Nihuſius varias nectit cauſas ne iſtic imprimatur, dum mea mihi Pinacotheca remittatur. geſtiunt enim hîc impreſſores & bibliopolæ, lucri ſpe ducti, eam typis mandandam curare; inſtant, urgent, ut ea quam primum ipſis tradatur. Vale. Romæ, VIII Kal. Martii CIↃ IↃCXLVII.

LVII.

Extrema pars literarum tuarum, magnum & incredibile meo animo dolorem inuſſit, ac præterea magnam vim lacrimarum mihi excuſſit. Etenim pacem, quam, prudentes viri, ſe certam & exploratam tenere, ſcripſerant, elapſam eſſe è manibus, nunciant, neque aliquam ejus ſpem reliquam eſſe; tum, omnia ea mala, maxima & graviſſima, quæ nos circumſtant, enumerant; nimirum, Turcas, multis præliis ſecundis factis, multis Chriſtianorum urbibus expugnatis, cervicibus noſtris imminere; Suecos in foribus ſtare, mox, niſi Deus reſpiciat, in Italiam irrupturos, eamque direptioni daturos; Gallos & Hiſpanos, magnos exercitus comparatos habere, &, ad dimicandum paratos, ſtatuiſſe, in Italia prælio decernere. ac mihi quidem videtur Deus, peccatis ac ſceleribus noſtris iratus, gladium vagina vacuum habere in manu, ac triplici illo flagello, quo maxime ſævire ſolet, nempe peſte, fame, ac bello, jam nos in furore ſuo arguere, & in ira ſua corripere. nam perfertur ad nos, peſtilentiam Venetiis multos mortales corripere atque Orco mandare, eamque in Gallorum exercitu graſſari. atque utinam, ſi ita religioni Catholicæ, & rebus Italiæ, quo omnes Gallorum conatus ſpectare videntur, expediat, ea lues funditus totum illum exercitum extirpet ac deleat. tum, quot bella, quamque calamitoſa, ad perniciem noſtram parentur, plus quam dici verbis poteſt, aſpicimus: annonæ vero caritatem impendere, ſuſpicari nos faciunt maximi atque perpetui imbres, qui tum autumno ſuperiore, tum tota hac hyeme, è cælo deciderunt, adeo ut ſementem obruerint, corruperint, ac ſata atque agros ipſos, ſua vi arreptos, alíorſum avexerint.

Sed,

Sed, quod me cruciat, angit, quod mihi cor urit, illud eſt, quod tot calamitatibus jam pene oppreſſi, ad Deum non confugimus, non, pœnis ultro ſuſceptis, eum nobis propitium facere ſtudemus. nulla jejunia indicuntur, nullæ ſupplicationes publice decernuntur; ſed, ut in diebus Noë, cum totus terrarum orbis eſt obrutus aquis, affinitatibus conglutinandis, conviviis exornandis, pecuniæ faciendæ, operam damus. utinam Deus mitius nobiſcum agat, nec nobis, pro meritis noſtris, gratiam referat. Scribit Nihuſius, Cæſium, ſimul ac totam meam tertiam Pinacothecam habuerit, continuo eam ſe impreſſurum. itaque id, quod reliquum ejus apud me erat, mitto. Heri fabula, à me ſcripta, & biduo ante ſpectata, rurſus repoſita eſt, in ædibus Seminarii Vaticani, ab ejuſdem alumnis. adfuit Eminentiſſ. Capponius, uxor Marchionis Bubali, qui nunc magna eſt apud ſummum Pontificem gratia; uxor Marchionis Vincentii de Nobilibus, aliæque, genere, opibus, ac forma illuſtres mulieres. quæ fabula, niſi me mei amor decipit, viſa eſt recto, ut dicitur, talo ſtetiſſe. Vale. Romæ, prid. Kal. Mart. CIↃ IↃC XLVII.

LVIII.

BRevem hanc epiſtolam ſcribo, magis id adeo, ut ſolemne illud meum inſtitutum ſervem, ne quem hinc ad vos tabellarium ſine meis literis ſinam abire, quibus tibi refricem memoriam meæ erga te benevolentiæ obſervantiæque, quam quod aliquid habeam, cujus te fieri participem velim. tum, libenter occaſionem arripio ad te ſcribendi, tuarum ad me literarum cupiditate, qua flagro; neque quidquam mihi longius videtur, quam dum dies ille veniat, quo famulum meum ad negotiorum tuorum geſtorem mittam, ut ab eo tuas, quas ad me ſcribis, literas exigat. cui ſtatutum eſt, eas domi ſuæ, cum abeſt, quod ſæpe contingit, non relinquere, ut à ſuis mihi reddantur; ſed eas nemini niſi famulo meo credit. Exiſtimabam, una cum his literis, oratiunculam tibi quandam mittere, quam, ad Senatum P.Q.R. ſcripſi. nam, quemadmodum M. Cicero orationem habuit ad Pontifices, pro domo ſua, ut noſti; ita etiam ego hac oratione ab

hoc

hoc Senatu, qui nunc eſt, flagito, ut officii mei, Aquæ Maranæ, fructus, jam prope biennium intercepti, reſtituantur, mihique iis, ut antea, perfrui liceat. quem illa eventum ſit habitura, neſcio; ſed non fuit mihi otium eam deſcribendi; quare literis proximis mittam, ut à Nihuſio noſtro ceteris ea orationibus, quas habet, inſeratur. Hic Romæ magnum eſt, tum de pace tum de bello, ſilentium. cupimus ſcire, num aliqua ſe ſpes pacis oſtendat. Vale. Rom. prid. Non. Mart. CIↃ IↃC XLVII.

LIX.

MItto orationem, de qua ſuperioribus meis ad te literis dixi, ad S. P. Q. R. ſcriptam; qua eum mihi patronum ſum adoptare conatus, ad fructus officii mei, Commiſſarii Aquæ Maranæ recuperandos, mihi jam pridem interceptos. quæ oratio quemnam ſit exitum habitura, affirmare non poſſum. at ego vehementer ſuſpicor, vel potius vereor, ut illa mihi, cui cadunt omnia teterrime, ſatis ex ſententia procedat, neve ſurdis nequidquam conquerar auribus. ſed, non contingat noſtris conatibus exitus quem optamus; ſi non aliud, ſaltem nova erit oratio, quam Nihuſius ceteris meis, quas apud ſe habet, adjungat. v Idus Martii, qui fuit dies S. Franciſcæ Romanæ ſacer, idem S. P. Q. R. in Capitolio, Excell. Olympiæ Maildachinæ, olim Pamphilii Pamphilii, Innocentii Pont. fratris, uxori, publice prandium dedit, atque exornavit ample magnificeque convivium; expoſuit omnia vaſa argentea, diligenter expurgata atque expolita. adhibitæ ſunt etiam, præter Olympiæ ejuſdem filias, plures aliæ matronæ nobiliſſimæ, quæ aliqua Pontificem cognatione & affinitate contingunt, ad opiparum illud lautumque convivium: conſiſtebant ad menſam, una cum Coſſ. viri nobiles multi, eiſdemque mulieribus diligentiſſime miniſtrabant. hujus convivii celebrandi ea cauſa fuit, quod Olympiæ ejuſdem opera, ſanctiſſimus Pont. diem illum feſtum, duplici officio colendum agendumque mandaverit. ajunt, Senatus conſulto decretum eſſe, ut ejus diei conviviique celebritas, æneis vel lapideis tabulis, grandibus literis inſcriptis, & in Capitolio defigendis,

gendis, omnis poſteritatis memoriæ commendetur. Gaudeo vehementer; meas ad te literas, meoſque quaterniones, ſalvos iſtuc & incolumes pervenire. Vale. Romæ, pridie Idus Martii CIↃ IↃC XLVII.

L X.

NVptiæ, quarum cauſa nos hîc hilaritate lætitiaque, feſtis Bacchanalibus, redundaſſe ſcribis, nullam civitati voluptatem objecerunt. Etenim ſponſi adeo nullos in ſuis nuptiis ludos dederunt, adeo nullas choreas, nulla ſpectacula ediderunt, ut nemo eorum, ne ſpectandi quidem ſui, poteſtatem cuipiam è populo fecerit. nuptiæ, ſine ullo apparatu ſumtuque, ſunt celebratæ in agro; & nunc Tuſculanus ager modica eos in villa, tanquam aves in cavea, incluſos & ab omnium fere conſpectu remotos detinet; nec ſaltem eorum aſpectu oculos paſcere & explere animum licet. cauſa ignoratur; ſed eſt neceſſe exiſtimare, eam eſſe juſtiſſimam æquiſſimamque. Fuit mihi vehementer gratum, quod ſcribis, adeo te meis incommodis atque moleſtiis commoveri, ut, ſi per fortunas tuas liceat, opem mihi auxiliumque ferres. utinam tuæ iſtius in me humanitatis pars aliqua in iis inveniretur, in quibus ea eſſe deberet, quique meum detinent, ne ſuppeditare neceſſariis meis ſumtibus poſſim. quamobrem, de tua iſta adeo propenſa in me voluntate, eas, quas debeo, tibi gratias ago habeoque. Sed, quæ Dei benignitas eſt, non adeo afflictæ atque proſtratæ meæ res jacent, ut nihil ſuperſit, unde vitam, ſaltem parce ac tenuiter, agam. minimum adhuc viæ reſtat; ad quam conficiendam, modico, vel nullo fere, ſit opus viatico. Mortuus eſt nuper hîc dives, vel potius omnium, qui ſunt Romæ, locupletiſſimus quidam, Fantino Rentio nomine; qui, fere ex nihilo, quingenta ſibi aureorum millia confecerat: utinam non etiam, cum divite illo Euangelico, ſepultus in inferno; quod ego non credo; nam triginta aureorum millia dicitur Caritatis Societati legaſſe. huic opes, quibus affluebat, exitio fuerunt. nam accuſatus, quod ex monte ſacro pietatis, apud quem ſuas pecunias depoſitas ſemper habebat, plus exegiſſet, quam quantum ſibi

ſibi deberetur, (quamvis admonitus, ſtatim illud renumeraſſet, etiam cum uſuris,) conjectus eſt in carcerem, eo videlicet crimine, quod cum non antea, quam eſſet admonitus, quod indebite perceperat, reddidiſſet, tacendo diſſimulandoque, furti ſe alligaſſe videretur. quamobrem, ex ægritudine, in morbum incidit; cumque medici, majore eum eſſe periculo, teſtificarentur, è carcere ſuam eſt delatus in domum. verum, cum periculum eſſet, ne, dum per ſcalas rurſum deferretur, animam exhalaret, collocatus eſt in lecto mediaſtini ſui, prope ſtabulum, vel potius in ſtabulo ubi equos ille curabat, neque ita multo poſt, diem obiit ſupremum; querens ſæpe, nunquam ſe putaſſe eventurum, ut, tot divitiis, quibus plus ceteris affluebat, præditus, in ſtabulo moreretur. Sed, ita ſunt res humanæ, ut nemini ſit exploratum, quo mortis genere, quando, aut ubi, ſit moriturus, ſive in mari ſive in via, ſive domi tuæ vel alienæ, ſive ſub tecto ſive ſub divo, naturæ debitum ſit redditurus. Vehementer doleo, nullam adhuc rationem inveniri, qua pax tandem componatur. Mitto alias duas notiſſimorum hominum, qui me effugerant, imagines. Vale. Romæ, IV Kal. April. CIↃ IↃC XLVII.

LXI.

ADoleſcentes nobiles, qui in Seminario Romano, diſciplinæ cauſa, una cum Seminarii ejuſdem Clericis, educantur, atque omnibus doctrinis, quibus impertiri ipſorum debet ætas, erudiuntur, miros nobis ludos de ſe dederunt. Etenim, paucos ante dies, à Patribus Soc. Ieſu, quorum autoritate atque conſilio domus illa adminiſtratur ac regitur, deſciverunt; quod, ut ipſi ajebant, novi Rectoris imperia, aſpera, ſæva, injuſta, pati nequiſſent. hujus defectionis ſemina jacta ſunt proximis ſuperioribus feſtis Bacchanalibus, quibus, tum adoleſcentes illi nobiles, tum Clerici, ſua ſpectacula præbere debebant. ægre enim tulerunt, ipſis, nobili loco natis, quique ſua ſibi pecunia, quæ ſunt ad victum neceſſaria, pararent, anteponi, in illis edendis homines, obſcuro loco ortos, quibuſque gratuito quotidianus cibus præberetur.

nam,

nam, quo die conſtitutum fuerat, ut ſuum ipſi drama agerent, juſſi ſunt à Rectore, quieſcere, & clericis locum dare, ambitione & ſtudio cujuſdam è clericis illis, adducto, quem arcta Principem cognatione ajunt attingere, quique priores, in eo, quod ab ipſis dabatur, dramate, partes ageret, atque Oratorem Hiſpaniarum Regis, multoſque viros principes alios, invitaverat. itaque capiunt conſilium, ſtultum illud quidem ac reprehendendum, ut darent operam, ne fas eſſet cuipiam ex iis, qui convenerant, illud drama ſpectare, cumque jam in eo eſſet ut ederetur, ac magnus ad illud mortalium concurſus factus eſſet; ecce tibi, illi, facto impetu, omnes in proſcenium erumpunt, eductiſque gladiis, qui illuc ad ludricum quoddam armorum certamen allati fuerant, quoſque abſconditos in lacernis habebant, totam illam ſcenam dilacerant. quo factum eſt, ut nihil eo die, nec ſequentibus aliis, ſit actum. Rector, qui nullam aliam fortaſſe provinciam præter illam adminiſtraverat, neque uſu didicerat, quemadmodum ægroti adoleſcentium animi tractandi eſſent, ſtatuit in autores illius facinoris ſeverius animadvertere, quam æquitas ac ratio depoſceret; atque eos in carcerem compellendos conjiciendoſque curavit; non quidem in publicum, in quem reorum vulgus & turba conditur, ſed in alium honeſtiorem, in cœnobio Fratrum Auguſtinianorum, ad Portam Flaminiam, in quem dantur Epiſcopi, qui de vinculis cauſam dicunt. neque eo contentus fuit, ſed flagris acerbiſſime de quodam ſupplicium ſumſit. in cujus injuria contumeliaque ſe eſſe offenſos contemtoſque exiſtimantes, clandeſtina inter ſe conferunt conſilia, de Patribus è Seminario expellendis exturbandiſque, ad quorum conſiliorum intima cubilia penetrare haud quiſquam, quantumvis ſagax aut ſapiens, potuit; tum, non varie, ſed cunctis ſententiis, decernitur, ut, proxima nocte, ad unum omnes, partim gladiis illis muniti quibus ſcenam conſciderant, & varias in partes diſtraxerant, partim columellis (quoniam ita magnus gladiorum numerus, quibus omnes armarentur, non ſuppetebat) quibus in lectis conopea ſuſtinentur, armati, magna vi magnoque clamore in periſtylium accurrerent, ibique una voce clamarent: Exite foras Ieſuitæ, recedite, in ma-

in malam rem ite. nec fecerunt ſecus quam dixerant. at miſeri, ubi armatos illos vident, ubi ſe appellari intelligunt, continuo comitia de capitibus ſuis haberi exiſtimant, atque omnes trepidare, metuere, Dei fidem implorare, feſtinare, atque alius alio accurrere, ubi ſalutem ſuam collocare in tuto poſſet. ſed fruſtra; nam plures illorum capti, in cubiculum illud includuntur, ubi de ſontibus pœnæ exiguntur. verum P. Rector, qui, ſua præſertim cauſa, tantum tumultum excitatum, ſeque in primis ad ſupplicium expeti arbitraretur, nec poſſet ſuæ ſaluti fuga conſulere; (nam omnes ab illis ad exeundum aditus capti, ſuiſque præſidiis muniti, tenebantur,) non habuit aliud propugnaculum tutius, ubi illorum furori ſe ſe ſurriperet, quam cubiculum ſuum. itaque eo ſe tenuit, atque oſtio peſſulum obdidit. illi, qui eo univerſi accurrerant, inſtare, urgere, ut aperiret, atque etiam, ni illud ſua voluntate faceret, minitari, ſe ligna allaturos, oſtiumque incendio conſumturos, quod manu aperiri poſſe diffiderent. qui cum nullam ſibi ſpem ſalutis in ſua defenſione relictam eſſe cerneret, cœpit cum illis agere de deditione; ac, Si mihi, inquit, fides datur, me incolumem hinc abiturum, nulla erit in me mora, quin continuo cubiculi fores aperiam, ac voluntati veſtræ morem geram. qui ſtatim promittunt, ſpondent, ſuamque in eo fidem interponunt. tum Rector aperit, exit. illi exeuntem excipiunt, laudant, honoribus, officiiſque omnibus proſequuntur; neque ſolum in eo, quod promiſerant, manent, ſed inſuper, accenſis cereis, capitibus detectis, uſque ad oſtium Seminarii, abeuntem comitantur, ac poplitibus flexis, tanquam magiſtrum & dominum venerantur. at non ejuſmodi honorem habuerunt Miniſtro, à quo ſe, non perinde ac facerent ſumtus, tractari, ſed parce ac tenuiter in omni victu haberi, perpetuo querebantur. nam male verbis acceptum, è domo illa, quantum poteſt, juſſerunt erumpere. eademque opera, in cellam penariam impetum faciunt; fores effringunt, intrant; quidquid erat in ea belliſſimum atque optimum, carpunt, diripiunt, vorant; ac partem etiam aliquam iis, quos in cubiculum illud incluſerant, mittunt. hoc oppido expugnato, caſtra movent, & ad alterum non minoris æſtimationis,

tionis, cellam nimirum vinariam oppugnandam, cum omnibus copiis progrediuntur. ſed illud oppidum, jam à propugnatoribus deſtitutum, intrant, dolia, vini præſtantiſſimi plena, reperiunt, invadunt, gladiorum mucronibus, latam vino ad exeundum viam aperiunt, vaſa, quæ heminas octo caperent, ibidem inventa, eo implent, ac merum, nulla permiſtum aqua, in ſe ingurgitant, faucibus plenis, & tanquam in cloacam effundunt. his actis, manipulares illi, bene centuriati, convertunt arma ad vindicandas lictoris illius injurias, qui ſocium ipſorum, verberibus cæſum, male mulcaverat. ſtatuerant enim, ſi eum deprehendiſſent, in medio ejus domus periſtylio, exutum veſtibus, loris operire, ejuſque corium, ita varium, flagris, efficere, ut varia ſunt conchyliata Alexandrina tapetia. at ille, non ignarus, quantum tergori ſuo exitium ac peſtis immineret, ſe in dolium quoddam immiſerat, ac, neſcio quid, ſupra, ne deprehendi poſſet, injecerat; ac per hanc rationem violentas illorum manus effugit. Reſtabat aliud nihil, niſi, expulſis ceteris, qui erant reliqui, vacuam illam domum efficere. eos igitur, quos habebant in cuſtodia, è vinculis eximunt, ea conditione, ut ex illis ædibus foras pedem protinus efferant; tum fores claudunt, armatis muniunt, feneſtras lapidibus implent, quos in eos jaciant, qui illuc moleſti auderent accedere; cuſtodias vigiliaſque, omnibus in locis lateribuſque, diſponunt. ſed, poſtquam aurora illuxit, cum ſatis, & pluſquam ſatis, ſuas injurias ſe eſſe ultos arbitrarentur, hoſtibus victis, bello exſtincto, re bene geſta, integro exercitu ac præſidiis, locum illum, quem tueri non poſſent, dimittendum ſtatuunt; ac prius, in foribus, in verſuris, aliiſque in partibus, digitum longis literis, ædes illas locandas inſcribunt; tum, domum quiſque ſuam abit, ſecumque eorum aliquos, qui Romæ domicilium nullum haberent, adducit. Quod cum ad ſummum Pont. eſſet perlatum, dicitur fuiſſe admiratus, tantam extitiſſe in adoleſcentibus, ſive potius pueris, in re tam ardua tamque difficili gerenda, ſagacitatem atque prudentiam; &, quoniam hoc crimen ad multos pertinebat, & ſine ſanguine acta res eſſet, vetuit illorum cujuſpiam nomen ad magiſtratus deferri. Id puerorum factum, multis pro-

batur; ut etiam, nihil ab illis fieri potuiſſe rectius, nihil elegantius, dicant. mihi vero, hæc ipſorum audacia atque conatus, adeo probari non poteſt, ut improbe, nequiter, ac, ſi dicendum eſt magis aperte, impie, ſuſceptum eſſe affirmem. nam, ſi pueris, dum à magiſtro corripiuntur, quidvis in eos facere liceat, jam mos ille patrius, ac diſciplina, quæ in Collegiis, ad pueros in officio continendos, vigere debet, funditus pereat, ſi pueris, obedientiam abjicere, ſi honorem, ſuperioribus debitum, denegare, ſi arma contra ipſos capere, ſi, quidvis illis licere, defendant, jam rerum omnium perturbatio atque confuſio conſequatur oportet, jam perfecta illa Reip. bene adminiſtrandæ ratio, quæ aliis qui pareant, aliis qui imperent, maxime continetur, prorſus intereat; jam pueri, in Collegiis, non ad modeſtiam, non ad bonos mores, non ad bonarum artium ſtudia, ſed, ad quidlibet audendum, ſed ad tumultus, ad ſeditiones, ſed ad bella gerenda, inſtituantur. Atqui, ſi parentes facient officium ſuum, liberos, qui tantum animi habuerunt ad audaciam, graviter objurgent, ac, pro jure patrio, pœnis in eos animadvertant. Quamobrem à Collegii Clementini moderatoribus ſapienter eſt factum, qui Seminarii Romani transfugis nullum ſuis in caſtris locum, quamvis multi eum petitum accederent, paſſi ſunt eſſe; ne videlicet illorum umbra, bonis, hoc eſt iis quos ſibi dicto obedientes haberent, obeſſet, neve peſſimum, conjurationes faciendi, & à ſuperiorum imperiis deficiendi exemplum in mores induceretur. Vale, ac feriis iſtis, Chriſto Domino, dira & acerba ſupplicia pro nobis paſſo, ſacris atque ſolemnibus, tuis mihi à Deo ſacrificiis ac precibus impetra, ut in eadem cruce, qua ille diem ſupremum obivit, carnem meam, cum vitiis ac concupiſcentiis, habeam, timoris, vel potius amoris ſui, clavo defixam, quo una cum illo in ſempiternam ac, ſecluſis malis, affluentem bonis omnibus vitam evadam. Iterum vale. Romæ, prid. Non. Aprilis ϹIϽ IϽC XLVII.

LXII.

LXII.

IMaginum, quas miſiſti, munus, inter eos quos jubes, cum fide diſtribui. nam earum unam, Eminentiſſ. Capponio, Hugoni Vbaldino alteram, P. Maffeo tertiam, exhibui; quartam mihi retinui, meoque Breviario inſerui; in qua cuſtodienda omnem eam diligentiam adhibebo, quam memoras. neque enim eam igni admovebo, neque, calidis manibus, indiligentius attrectabo. omnes hoc munere delectati ſunt plurimum; tum ob ejus novitatem; etenim, non alias ſimile aliquid ſe vidiſſe, ſed tum primum ſuos ad oculos perveniſſe, ajebant; tum multo magis, quod abs te datum illud eſſet, id vero ſerio triumphabant. quamobrem omnes, maximas tibi de eo gratias agunt habentque. Cælatoribus eas ego imagines multis oſtendi; qui miris artificis illarum ingenium laudibus extulerunt. ſed non ſatis conveniebat inter eos, ex quanam potiſſimum materia illæ conſtarent. alii, bracteam eſſe argenteam, alii ſtanneam, nonnulli, neſcio quid aliud, ex plurium rerum admiſtione conflatum, ajebant; ſed, quidquid illud eſſet, elegans eſſe atque præclarum. Scribis, te non ſatis adhuc percipere ex meis literis, quod nam in re mea familiari damnum acceperim. verum, quoniam ex oratione, à me ad S. P. Q. R. ſcripta, quam ad te jam perveniſſe exiſtimo, id tibi cognitum eſſe potuit, duorum ego labori hominum parcam; mei, illud ad te ſcribendi; tui, meas literas legendi. Seminarii Romani collapſi ruinæ, non ſunt adhuc inſtauratæ, ſed etiam nunc afflictæ jacent atque proſtratæ; hoc eſt, vacuum contubernalibus illud manet. Alia etiam ejus tumultus ac defectionis cauſa narratur, quam ſuperioribus literis ſum oblitus, ac volui ſcribere. quæ ſi vera eſt, (non enim, præter auditionem, certi aliquid habeo,) ſi, inquam, vera eſt, non omnino injuria, puerorum illorum animi commoti fuiſſe dicuntur; quamvis longius, quam par erat, iracundia proceſſerint. Erat inter eos, honeſta ac liberali facie puer, cui flavi à capite ad humeros capilli fluebant; ſicuti in vetuſtis Chriſti Salvatoris noſtri imaginibus videmus. & , quoniam, tum

facie, tum capillis, quandam Chriſti Salvatoris imaginem referre videbatur, Salvatorem eum appellabant. erat etiam alter, paululum calvo capite; huic, quia brevis erat ſtatura, non calvi, ſed Calvini nomen indiderant. habebat uterque illorum ſuos ſectatores ac laudatores; quamobrem fiebat, ut ille diceret, Ego ſum Salvatoris, ille, Calvini. quod Patres, non ad pueriles jocos, ſed ad fidei Catholicæ rationem, referentes, rem omnem ad fidei Quæſitores detulerunt. qui ſtatim, eos arceſſendos interrogandoſque, quid ſentirent de fide, curarunt. verum, cum ex illorum reſponſione, nihil eos unquam à fidei veritate aberraſſe, ſed, ut puerorum mos eſt, delicias facere voluiſſe, comperiunt, continuo ex reis eximunt, & domum cum riſu dimittunt. Ejus injuriæ dolor altius illorum animis, quam quiſpiam opinaretur, inhæſit: itaque, ſimul ac data eſt occaſio, erupit; atque eas turbas, quas diximus, dedit. Bibliothecam Gallo-Suecicam aliaſque ejuſmodi librorum argutias, animos eorum, à quibus conficienda pax eſt, exulcerare, ab eaque revocare, tecum una ſentio. ideo, faceti iſti atque dicaces, ſi communis pacis ſunt cupidi, ingenio magis ſuo temperare, quam indulgere, debeant. Vale. Romæ, v Idus Aprilis CIↃ IↃC XLVII.

LXIII.

IMagines tuæ iis, quibus eas miſiſti, majori cuſtodia ac diligentia viſæ ſunt dignæ, quam ut eæ Breviariis inſerantur. nam, paginarum pondere oppreſſæ, contunderentur & eliderentur. quamobrem data eſt ab iis opera, ut elegantes in thecas includerentur, & ſupra cryſtallus injiceretur, quo omnis ad illas fumo ac pulveri aditus intercluderetur. Heri veſperi, feria quarta majoris hebdomadis, vernacula lingua, ad meos Sodales, ſermonem habui, de Chriſti Domini paſſione ac morte; in quo verba illa Iobi, cap. IX, ſum explicare conatus, *Terra data eſt in manus impii, vultum judicum ejus operit.* non fuit mihi adhuc otium, in Latinam eum linguam vertendi; ſed faciam, ut ſpero, ſimul ac ejus rei facultas dabitur. Eminentiſſ. Capponius novum & egregium benevolentis

volentis erga me animi ſui ſignum oſtendit. nam ſponte, in beneficii loco, poſtulavit ab eo, qui officii mei, de quo ſæpius ad te ſcripſi, fructus retinet, ut eos ſineret ad me pervenire. à quo tandem ægre, & in magno beneficio, impetratum eſt, ut, ex tribus annis quibus iis careo, duorum proximorum fructus caperem; primi, Populus Rom. acciperet ad fabricam, hoc eſt, ad novas ædes, quas in Capitolio parat, exſtruendas. ut male ſit fabricæ illi, ne dicam, iis,quorum ea conſiliis ædificatur. quid illud ad me ædificium attinet? quam nam ex eo utilitatem capio? num æquum eſt, meum mihi ingratiis eripi, ut ſuam quiſpiam cupiditatem, de Capitolio ornando, aliorum ſumtibus, expleat? Sed muſſitandæ ſunt ſuperiorum injuriæ, ac de iis gratiæ agendæ. Sed Cardinalis in me benignitatem, eximiam, ac viro principe dignam, ſatis mirari non poſſum. nam, vide, quo proceſſerit. ſtatuerat, tam inſignem mihi factam injuriam ſummo Pont. exponere, atque auxilium ab eo, adverſus eos qui eam mihi inferrent, expetere. ut Deus opt. max. omneſque Divi omnia illi bona largiantur. Legi his diebus orationem Lippi Aurelii Brandolini, de Chriſti virtutibus, in ejus paſſione oſtenſis, ad Alexandrum VI habitam, & ab Aldo Manutio, Pauli filio, aliquot ante annos, rurſus è tenebris in lucem revocatam; quæ, non poteſt dici, quantum cordis mei palato ſapiat. eſt enim ſcripta, non ſolum venuſte, copioſe, eleganterque, verum etiam graviter, magnifice, ac, pro loci, in quo eſt habita, dignitate. lego eam quotannis, his feriis, Chriſti Paſſioni ſacris, attente, diligenter; ſummamque ex ea capio voluptatem. &, quamvis eam centies perlegerim, non adhuc tamen eſt factum, ut ea apud me faſtidiis adhæreſceret. cupio eam tibi quoque placere. Vale. Romæ, Feria v in Cœna Domini CIↃ IↃC XLVII.

LXIV.

PVtabam, me his literis pulcherrimas duorum præſtantiſſimorum virorum imagines, quæ Pinacothecæ tertiæ jungerentur, eſſe miſſurum; unam P. Silveſtri Petraſanctæ, è Soc. Ieſu; Io. Baptiſtæ Salutii, Genuenſium

 ſium

ſium nobiliſſimi, alteram. Sed non fuit mihi fas, niſi hanc poſtremam, mittere, qua totam Pinacothecam eam definiri concludique cupio. priorem, P. Petraſanctæ, quia nondum illam mihi licuit abſolvere, proximis literis dabo. Modo, ex ſolis Apuliæ locis atque regionibus, novum quoddam virtutis monſtrum, in Vrbis Romanæ celebritatem atque frequentiam, ut ſit omnibus miraculo, prodiit, ex ruſticæ agreſtiſque vitæ quaſi tenebris, clariſſimum ingenii jubar exortum, in Romani cæli lucem, ut ibi clarius dilucidiuſque exſplendeſcat, ſe intulit. Hic eſt ruſticanus, ex ignobili obſcuroque Apuliæ pago, Benedicto, Virgilii filio, nomine; qui, ab ineunte ætate, agro excolendo, ac bobus exercendo, ſordido vitam oblectavit pane; verum, cum legere ſcribereque didiciſſet, noctu aliquot horas ſomno detrahens, ac Taſſi, Areoſti, Marini, Sanazarii, lectioni tribuens, nulla alia ope, niſi naturali quodam bono quo præſtat, adjutus, ad poëſin Etruſcam ſcribendoſque verſus ſe contulit. quod bonum quantam vim habeat, ex eo licet agnoſcere, quod, cum ſit funditus omnium bonarum artium expers ac rudis, natura duce, eatenus progreſſus eſt, ut non unum ſed plura poëmata ſit auſus efficere; ut Ieſu Chriſti, S. Brunonis, Carthuſianorum familiæ autoris, ac poſtremo S. Ignatii Loyolæ, qui Societatem Ieſu fundavit, vitam, in qua nunc ego, heroico carmine ſcripta, legenda, magna illius ingenii admiratione ſum occupatus. Genus carminis eſt altum, exaggeratum, verborum ſententiarumque ſplendore illuſtre; ut tamen ſit in eo profluens quiddam ac fuſum. multas, in hoc S. Ignatii poëmate, deſcriptiones habet admirabiles, ut, regionum, tempeſtatis, auguſtiſſimæ Dei trini atque uni divinitatis. &, quod incredibile videri poſſit, ille, qui ne à limine quidem ſacras literas ſalutavit, nihil in ea deſcriptione, quantumvis pluribus verſibus explicata, à fidei veritate diſcedit. Itaque habemus, quem cum Dominico Pero conferre poſſimus. Hæc volui ad te ſcribere; ut videas, omnibus ætatibus, præclara ingenia, quæ cum Cicerone, Virgilio, aliiſque, tum oratoribus tum poëtis, ſi eſſent qui ea colerent, poſſent æquari, contingere. Vale. Romæ, x Kal. Maji ƐIƆ·IƆC XLVII.

LXV.

L X V.

HEri, VII Kal. Maji, ſeptem præcipuas Vrbis Eccleſias, Sodalitas noſtra, ut ſuum illud ſolemne ſervaret, ad ducentos, obivit; atque omnes ferme ex Romana nobilitate. ducebant agmen Eminentiſſ. Cardinales quinque, Pallotta, Franciottus, Carpigna, Carafa, Vrſinus, qui, integræ horæ ſpacio mecum inambulans, variis de rebus ſermones habuit perquam familiariter. hi, præterquam quod ſummi in menſa, ample magnificeque inſtructa, accubuerunt, ſine ullo diſcrimine inter ceteros verſabantur. quorum purpura eo clarius exſplendeſcebat, quod palliis erat atris immiſta atque confuſa. & , cum tam multi eſſent, nullum eſt ortum inter vina diſſidium, nulla permiſtio, nulla confuſio; ſed omnem convivæ cuncti leporem, hilaritatem, amœnitatemque exercuerunt. à prandio delectarunt nos quidam muſici inſignes, qui, fidibus ac voce, ſcite eleganterque cecinerunt; tum adductus eſt puer ſeptuennis, qui, ſumma omnium cum admiratione, qua ætate vix alii incipiunt poſſe fari, ipſe, docte eruditeque, longas de ſacris literis, de Theologicis, de Philoſophicis rebus, ac de jure civili, diſputationes, nobis præſentibus, habuit. poſtremo eleganti ſua voce nos tenuit P. Oliva, qui hoc anno, in æde nominis Ieſu, conciones ad populum habuit ea frequentia, ut vix aurora illuceſceret, cum illuc homines confluerent, loci occupandi gratia; atque una die, decem atque octo Cardinales, ad ipſum audiendum, acceſſerunt; nec mirum, præſtat enim ingenio, eruditione, doctrina, geſtu, vocis ſuavitate. atque ita, eorum, qui aderant, mentes, verbis & ſententiis & actione, tractabat, ut audiens multitudo ad miſericordiam induceretur; ad pudendum, ad pigendum, ad timendum, ad ſperandum, ad dolendum, ad plorandum, ad contemnendum, pro ut ipſe vellet, impelleretur. & poſtquam ſatis nos quieti otioque dedimus, rhedas conſcendimus, & reliquas eccleſias adivimus. verum ex æde D. Mariæ majoris, quæ poſtrema inter ſeptem enumeratur, præeuntibus Cardinalibus, omnes nos pedibus in templum nominis Ieſu contulimus;

mus; ubi excepti fuimus cum cantu atque ſymphonia. tum inde læti, & agentes gratias, diſceſſimus unuſquiſque domum ſuam. Summus Pont. majoris hebdomadis & Paſchatis ſacris peractis atque completis, ex Vaticano ſe ſe ſurripuit, ac primum in veterem ſuam domum, pranſum, ivit, ſubinde in Quirinales ædes tranſiit; ſed, die Iovis, quo inſigne illud Chriſti Domini humilitatis exemplum cærimoniis ſolemnibus celebratur, cum videlicet ille, poſitis à cœna veſtibus, diſcipulorum ſuorum pedes humiliter abluit, ac linteo, quo erat præcinctus, abſterſit, novum quiddam ac ridiculum accidit. etenim unus, ex mendicis illis, quos Pontifex, ad referendum, atque adeo oculis ſubjiciendum, tam admirabile ac plenum demiſſionis animi, factum, adhibet, argenteam clam patinam furto ſurripuit, ſibique in ſinum inſeruit. cumque jam fugam adornaret, animadverſus eſt à tricliniaſtis, qui oculos nunquam ab oculis illorum dimovebat; ac manifeſto in flagitio deprehenſus. vir nequam atque ſacrilegus, aureo numiſmate à ſummo Pont. fuerat donatus, optimis veſtibus indutus, & aqua ipſi manibus ab eodem data, ad convivium omnibus refertum obſoniis adductus, & antea, tantum Pontificem, Chriſtianæ Reip. Principem, Chriſti in terris vicarium, ſibi ad pedes accidere, eos abluere, exoſculari, exſiccare linteo, proſpexerat; nec tamen, tantæ benignitatis officio, eſt commotus, vel potius exterritus, ſed auſus eſt ſe furto contaminare; ac rogatus, cur eo audaciæ progreſſus eſſet, reſpondit, pietatis ac religionis id à ſe cauſa factum; ut nimirum apud ſe aliquid retineret, quo inſpecto, tanti Principis humanitatem in ſe ſe, ac facti illius atque diei memoriam, ſibi in animum revocaret. at ego arbitror, voluiſſe eum potius illius ex Apoſtolis perſonam repræſentare, qui fur erat & latro. Vale. Romæ, IV Kal. Maji CIↃ IↃC XLVII.

LXVI.

MAgna adhuc, in noſtris regionibus, pax agitatur; neque aliquis armorum ſtrepitus, quo, ex bellorum apparatu, multus oſtendebatur metus, fore ut Italia

tota

tota concuteretur, exauditur. Ex Germania affertur ad nos, inter Bavarum & Gallum conveniſſe, ne alter alterum bello laceſſeret, neve Bavarus iis, qui Gallis eſſent inimici, ſuis copiis auxilio veniret. qua ratione ſe bellorum ſumtibus liberavit, urbeſque, ditioni ſuæ ſubjectas, obſidionum, incendiorum, ac direptionum periculis calamitatibuſque ſubtraxit. dicitur, literas divulgaturus, quibus perſpicuas ac manifeſtas faceret omnibus cauſas, quibus adductus, ad eas cum Gallis pactiones conditioneſque deſcenderit. Puer ille ſeptuennis, de quo ſuperioribus ad te literis ſcripſi; etiam nunc ſermo eſt omnibus, quibus, nec injuria, prodigii ac portenti cujuſdam ſimile videtur, ea ætate puerulum, non ſolum omnium maximarum artium, ac liberalium diſciplinarum, fontes & capita noſſe; Theologiæ, Philoſophiæ, Mathematicæ, Medicinæ, Iuriſprudentiæ, Grammaticæ, verum etiam de abditis atque reconditis artium illarum capitibus, interrogatum, poſſe ſe ex argumentorum laqueis, quibus capi implicarique tentatur, facili ratione expedire atque diſſolvere. magna in eo pietas ac religio eminet. atque, rogatus (joci fortaſſe cauſa) à quibuſdam, num Antichriſtus eſſet, magna celeritate animique alacritate, Non ſum, inquit, Antichriſtus, ſed Ieſu Chriſti ſervus. qui, magnæ indolis ſpecimen, ex hac pueri illius reſponſione, ceperunt. In proxima Paſchali ſolemnitate, in Miſſæ ſacrificio, quod per Pontificem ſummum eo die, ut noſti, peragitur, quiddam accidit, quod paululum Pontificis ejuſdem animum perturbavit. nam, cum ad eum locum ventum eſſet, quo loco ſacra Chriſti corporis & ſanguinis myſteria percipiuntur, jamque, unam Pontifex partem Hoſtiæ ſibi ſumſiſſet, alteram in manibus haberet, ut Virgilio Card. Vrſino in os insereret, neſcio quo modo elapſa eſt illi è manibus; cumque lata ac patens patena ſubjecta eſſet, ac mappa ſubtus, non exiguam in longitudinem latitudinemque patens, extenſa, nec ventus aliquis flaret, longius illa evolavit, & in unum ex ſolii gradibus decidit. ſed perturbatis & incertis eorum, qui aderant, animis, eum, neque quid facerent, neque quid conſilii caperent, ſcirent, demum Magiſter cærimoniarum exceptam in patena repoſuit, eamque ſummus Pont.

Cardinali Vrſino, cui debebatur, utpote qui Diaconi partes in eo ſacrificio agebat, tradidit. Vale; &, ſi quid boni de pace ſe offerat, humaniter nobis, ſicut adhuc eſt à te factum, imperti. Rom. Kal. Maji CIↃ IↃC XLVII.

LXVII.

Ea eſt beneficii, quo me nuper ornaſti, magnitudo, ut, quibus verbis tibi gratias agam, non reperiam. nam cum ea invenire ſtudeam, nulla occurrunt, niſi vulgaria, niſi communia, quæque non perinde exprimant, quantum me tibi debere profitear; atque ipſe cogitans ſentio. nunquam enim auſus eſſem optare, ne dum ſperare, fore ut te, adeo injuria, mihi à Naudæo facta, commoveret, ut de ea graviter, per literas, cum Athenarum Archiepiſcopo, apud Regem Chriſtianiſſimum Nuncio, expoſtulares, eumque opere maximo rogares, ut Naudæum, ad ſe accerſitum, objurgaret, quod mea ſcripta tam diu, contra jus, contra officium boni viri, contra ſua promiſſa, retineret, nec, toties rogatus, vellet proferre; atque omnino ſua autoritate perficeret, ut ea tandem exhiberet, quo imprimi poſſent. quoniam igitur tuis in me meritis, non modo non referre, ſed ne agere quidem, ut par eſt, gratias poſſum, habebo quidem ſemper: &, quando mihi, ad remunerandum, nihil ſuppetit, præter voluntatem ac memoriam beneficiorum & benevolentiam; hæc omnia, quoad vivam, tibi præſtabo, ut debeo. Mea ad S. P. Q. R. oratio eum exitum habuit, quem ſuſpicabar, ut omnium irriſione jocoque exciperetur. ac primum, Senatus ac Conſules, quorum ego auxilium implorabam ad officii mei fructus, mihi interceptos, recuperandos, poſtquam multis interpretibus adhibitis (ſunt enim omnes, Latini ſermonis, funditus ignari,) quod ego ab ipſis vellem, intellexerunt, reſponſum dederunt, nihil mihi in ipſis præſidii eſſe poſſe; etenim eam rem ad ſe non pertinere; immo, multos quoque ex ipſis, eodem quo ego calamitatis æſtu, jactari. Interea, Eminentiſſ. Capponius, inſcio me, egit cum illo, quem omnes eſſe ajunt harum injuriarum autorem, ut meo me fineret frui. qui, tanti viri autoritate permotus, in ſummi beneficii

ficii gratiæque loco, ut ſuperioribus literis ad te ſcripſi, conceſſit, ut tum mihi liceret deinceps officii mei fructus accipere, ſi anni CIↃ IↃC XLV renunciaſſem fructibus, eoſque novarum ædium, quæ in Capitolio excitantur, ſubſtructioni concederem. itaque, neceſſitate compulſus, coactus ſum, ita ut voluit, cum illo decidere, & anni unius fructuum jacturam facere. vide, obſecro, novam exſtruendarum ædium rationem; per vim ſuas à civibus pecunias eripere, quibus eæ parentur. Hac igitur deciſione facta, nullum jam relictum eſſe locum video orationi illi, in genere judiciali, quam poſtulas. actam enim rem agerem. atque, etiam ſi res eſſet integra, egone auderem cum illis judicio contendere, in quorum poteſtate ſunt omnia judicia? nam hoc eſſet, more gigantum, bellare cum diis. deinde rurſum me Senatui P.Q.R. ridendum præberem, cui ſatis jam de me ludos dedi. neque fuit in ſuperiori oratione neceſſe, explicare, quid nam eſſet muneris, hæc provincia, Commiſſarii Aquæ Maranæ; cum ad eos verba facerem, quibus id erat notiſſimum. & ſane nihil eſt aliud, niſi nudus quidam honor hoc nomine, qui nullam habet poteſtatem, nullius rei procurationem, nullam diligentiam, nullam induſtriam, nullum cujuſquam laborem adjunctum, cujuſmodi ſunt reliqua omnia P. R. officia, quorum aliqua appellantur nominibus oppido ridiculis, ut Cuſtodis equeſtris Statuæ Antonini Imperatoris, Lectoris Hiſtoriarum Titi Livii, aliiſque; neque eorum quiſquam, qui muneribus hiſce fungitur, aliqua ſtatuæ illius cura continetur, vel Titi Livii Hiſtoriarum volumen unquam attigit. ego autem, ad meum officium quod attinet, nunquam ſcivi, quæ nam eſſet hæc aqua Marana, unde oriretur, qua flueret, quid utilitatis ex ea Populus Rom. acciperet; tantum audivi, extra portam Cælimontanam, non procul ab Vrbe, illam excurrere, molaſque aliquot frumentarias ſuo curſu verſare. ſed, quoniam hæc officia annuam pecuniam habent adnexam, alia majorem, alia minorem; ideo, pro ratione illius pecuniæ, alia carius, vilius alia, venduntur.

P. Silveſter Petraſancta, cui Sodalitatis noſtræ cura commiſſa fuerat, V Non. hujus menſis, qui fuit dies inventioni Crucis Chriſti ſacer, cum calculi intra veſicam hærentis

hærentis dolorem amplius ferre non poſſet, ſtatuit ultima experiri, & aliquot ante dies, victu, corpore præparato, tradidit ſe chirurgo ſecandum: cui ille, ſane feliciter, brevi temporis ſpacio, ferramentis quæ adhibere ad ejus morbi curationem ſolet, ſex calculos, ovi columbini craſſitudine, ut ajunt, (nam ego non vidi) extraxit. ſed, biduo poſt, diem obiit ſupremum. tam celeris mortis cauſam ſuſtinere dicitur bolus quidam, à valetudinario, ad conciliandum illi ſomnum, qui ejus ab oculis fugerat, traditus. Damnum fecit, ejus morte, nominis Ieſu Societas. nam vir erat apprime doctus, eruditus, rituum rerumque eccleſiaſticarum memoriam comprehendens, è qua, ſi quando opus eſſet, multa proferret; præterea, comis, jucundus, officiique plenus. ſed in primis triſte ſui deſiderium reliquit Eminentiſſ. Cardinali Carafæ, qui cum magnus illi uſus amicitiaque, pluribus ab hinc annis, intercedebat; cui Cardinali, magni ejus opera erat, in rebus ipſius domeſticis adminiſtrandis. ac tantus illi honor à Sodalitate noſtra eſt habitus, ut, qua hora ſecaretur, ſacroſancta Chriſti corporis myſteria in ſacello exponerentur, ac pro illius ſalute ab omnibus vehementiſſimæ ad Deum preces effunderentur. ac nihilo ſecius unuſquiſque noſtrum, pro ejuſdem animæ expiatione, ſacrum faciendum curavit. itaque homini, & vivo & mortuo, quod quidem in nobis fuit, omnia præſtitimus. Menſe Februario ſuperiore epiſtolam ſcripſi, per quam Deum ac B. Virginem adibam, eos rogans, ut vellent meas mihi noxas dimittere; &, quia pudebat me, plenum ſordibus, illis in conſpectum prodire, eandemque in manus dare, altera epiſtola petebam à te, ut, pro tua ſingulari humanitate, amicitiaque, quæ tibi cum Deo eſt, has partes ſuſciperes, & in tuis ſecretis cum illo colloquiis, ut fit in ſacrificio Miſſæ, meum illi ſupplicem libellum, tuis commendatum precibus, traderes. ſed, deſcribendi labore deterritus, quem, ut ſæpius dixi, plurimum fugio, eum abjeci, nec volui amplius aſpicere. nunc autem, otioſus, quia intelligebam, ſalutis meæ in rem eſſe, eum tibi reddi, rurſus excepi, deſcripſi, tuaſque in manus deferendum curavi. multa in eo ſæpius repetita occurrent; ſed ne mireris; ita fieri ſolet ab iis, qui, præ doloris

doloris magnitudine, plerumque non apud ſe ſunt, nec, quid antea dixerint vel non dixerint, ſatis attendunt. Ne multa; quidquid illud eſt, quod trado, æqui bonique conſulas, oro. Vale. Romæ, VII Idus Maji CIƆ IƆC XLVII.

LXVIII.

QVam multæ ſunt in hominum mentibus latebræ! quam multi receſſus! ita tamen, ut homini, mediocriter prudenti, interdum penetrare ad intima illorum cubilia liceat. Palam, verbiſque ſpecioſiſſimis, non nemini pax & concordia eſſe cordi videtur, ſed intrinſecus, ac re ipſa, nihil magis eſt odio. id adeo fit, quod non jus, non æquitas, non ratio, in nobis viget, ſed pravitas, ſed iniquitas, ſed cupiditas, peſſimi conſultores, dominantur. maximam gloriam in maximo imperio putamus; neque id, quibus modis aſſequamur, dum nobis regnum paretur, quidquam penſi habemus. tum jure partum nobis imperium gloriam immortalem famamque crearet, ſi immaniſſimum Turcarum tyrannum, tot regnis atque provinciis, quibus abundat, ſi tot præſtantiſſimis rebus, nobis ereptis, quibus circumfluit, exueremus; non autem Chriſtianos Principes, urbibus, oppidis, ac portubus, à majoribus ſuis, ipſis relictis, conaremur evertere. itaque in magnum plerunque dedecus incurrimus, dum totum ignoramus iter gloriæ. Sed hæc hactenus; nam ſi, quantum habeat ea res vituperationis, perſequi oratione velimus, nullus erit querendi finis. Cogitaveram, his literis unum ex ſex Paradoxis Chriſtianis, Illuſtriſſ. Chiſio dicatis, ad te mittere; ſed vetuit deſcribendi pigritia; quo vitio in primis laboro; neque eſt, quod magis defugiam, quam exſcribendi laborem. hinc eſt, quod meæ ad te literæ, lituris plerunque refertæ, afferantur. ſed hæc quoque ſegnities, Deo juvante, excutietur; ac ſingula deinceps Paradoxa, ſingulis hebdomadibus, ad te perferenda curabo. quibus deinde quinque vel ſex Homiliæ, de quatuor noviſſimis, fortaſſe accedent; quæ omnia, ſimul juncta, unum, nec ita exiguum, corpus efficient. Summa P. Silveſtri Petraſanctæ merita, nec

nec pauca ejuſdem in me beneficia, cogunt me, ut ejus imaginem ingenii, quæ aliis meæ tertiæ Pinacothecæ addatur, deſcribam; qua perfecta, una cum altera, nobiliſſimi cujuſdam viri & immortalitate digniſſimi, liber ille concludetur ac definietur. P. Iacobus Fuligattus, qui tantiſper, dum alter in P. Silveſtri locum ſubrogetur, Sodalitatis noſtræ curam gerit, te ſalvere plurimum jubet. Vale. Romæ, idibus Maji CIↃ IↃC XLVII.

LXIX.

VTrum vera ſint nec ne, quæ Naudæus ſcribit, de meis opuſculis, bibliopolæ cuidam in Belgium proficiſcenti, cujus nomen non dicit, conſignatis ac traditis, res ipſa declarabit; ſed cum adhuc nihil appareat, ac tum Cæſius, tum Nihuſius, ſcribant, nihil in ſuas manus perveniſſe, vereri licet, ne ab eo nobis verba dentur. quamobrem poſthac quieſcendum, neque quidquam amplius quærendum arbitror, ſed æquo animo ferendam jacturam tot ſcriptorum, in quibus tantopere elaboraveram. ſed ceterorum damna non ita magnam mihi moleſtiam afferrent; verum orationes, unde aliquam eloquentiæ laudem me eſſe conſecuturum ſperabam, mihi eſſe amittendas, id me angit ac cruciat. cogitandum eſt igitur de iis quæ ſalva ſunt, & Cæſius rogandus, ut quamprimum Pinacothecam tertiam, quam non minus, quam duas ſuperiores, gratas fore exiſtimo, typis mandare conſtituat, ut mihi ſæpe pollicitus eſt. addidi ſuperioribus, quæ in eam conjeci, imaginem P. Silveſtri Petraſanctæ, cujus virtus atque præſtantia, in iſtis regionibus ſatis eſt ſpectata & cognita, dum Eminentiſſ. Card. Carafa, Nuncii Apoſtolici in illis provinciam, adminiſtrabat. Ægre mihi eſt, nullam adhuc ſpem aut conditionem pacis afferri, ſed omnium fere animos eſſe intentos ad bellum. at, paucos ab hinc dies, vulgi rumoribus diſſipatum eſt, pacem vel eſſe compoſitam vel prope jam eſſe ut componatur. ideo loca montium, quæ vocant, cœpta ſunt aliquanto carius vendi. nam, ſimul ac fama exit, claſſem vel exercitum ad bella gerenda comparari, continuo vilior eorum eſt annona. at nunc ne inveniuntur quidem, qui velint vendere,

dere, alieniſſimo privatis meis rationibus tempore; nam mihi aliquibus opus eſt emtis. ſed ego omnes meas utilitates & commoda paci poſtpono, ſi ea obtineri aliqua ratione poſſit. nam cuivis bono pluris debet eſſe tota reſpublica, quam ſua privata atque domeſtica. Peto à te majorem in modum, ut mihi ſis deprecator apud Nihuſium ac Cæſium, quo tertia mea Pinacotheca, quæ jam diu eſt in expectatione, quamprimum imprimatur. Vale. Romæ, III Kal. Iunii CIↃ IↃCXLVII.

LXX.

IMagines, nuper à te miſſæ, diſtributæ ſunt inter eos, quibus ſuperiores, te jubente, ſunt redditæ. qui omnes, maximas & ingentes tibi de illis gratias agunt, ac tuo vehementer munere delectantur. nec fuit eorum quiſquam, qui illas viderit, qui ſuſpicari quidem poſſet, ex qua materia ſint illæ tam affabre eleganterque conflatæ. erat inter nos adoleſcens quidam nobilis & ingenioſus, qui illud tenere ſe diceret quod ceteros fugeret; atque ajebat, ex tenuiſſima eas membrana conſtare, cui color ille aureus & argenteus eſſet ſuperinductus. riſimus omnes adoleſcentis acumen; neque fuit quiſquam, qui ejus ſententiæ adſtipularetur. Eminentiſſ. Capponius, ſimul ac certior à te factus eſt, paginarum oppreſſione nullum eis vitium addi, ſtatim ſuam, quam ſibi elegerat, quo utitur, Breviario inſeruit; &, quemadmodum ſecunda valetudine, qua frueris, vehementer gaudet, ita etiam dolore omnium maximo afficitur, nullam adhuc inter Chriſtianos Principes pacem, tanto cum Catholicæ religionis damno, poſſe componi; eoſque exſecratur, quorum opera, tumultus otio, bellum paci, anteponitur. Oratio Lippi Aurelii Brandolini, Auguſtiniani, anno CIↃ IↃ XCVI fuit edita Romæ ab Aldo Manutio juniori, & F. Angelo Roccæ, tum Sacrarii pontificii præfecto, dicata, ex typographia Dominici Baſæ profecta. ſed hæc typographia jam diu diſſoluta eſt; neque bibliopola quiſquam invenitur, qui orationem illam venalem habeat. cumque jam diu ſit impreſſa, vix apud privatum aliquem invenitur; & amicus, qui habet, una cum

aliis

aliis ejuſmodi opuſculis, libro eam cuidam illigavit, &, gratiæ ſcilicet cauſâ, quo mihi rem gratam faceret, ex libro illo detracturum ſe dixit. ſed, contra officium, & contra modeſtiam, me eſſe facturum exiſtimari, ſi id, quod perciperem, lingua magis quam animo dici, voluiſſem accipere. ſed ego & Leo Allatius dabimus operam ſedulo, ut ea ex aliquo ſepulcro, ubi mortua jacet, eruatur, tuque graviſſimæ elegantiſſimæque orationis, quam Aldus meritis in cælum laudibus effert, non ſemel tantum, ſed ſæpius, lectione animum expleas. Vale. Romæ, VI Idus Iunii CIↃ IↃC XLVII.

LXXI.

Calanius Aciarius, quem ego, & ſuis virtutibus & tua cauſa, plurimum diligo, oſtendit mihi epigrammata aliquot, in laudem ſanctorum quorundam virorum Senenſium, Auguſtinianorum Eremitarum; quæ mihi viſa ſunt oppido elegantia, ac ſententiis vibrantibus argutiſque concluſa. quamobrem magnam habeo illi gratiam. interfuit etiam, die ſanctis Apoſtolis Petro & Paulo ſacro, ſermoni, quem in noſtra Sodalitate habui; & poſtridie domum ad me venit, orans, ut ejus ſibi copiam facerem; ac ſtatim illius ſtudiis ſum obſecutus. Gaudeo, P. Silveſtri Petraſanctæ imaginem ſalvam iſtuc perveniſſe. ſupereſt rogandus Cæſius, ut tertiam Pinacothecam ſuis velit typis imprimere; ac poſſet etiam orationes, quas habet; quæ tot ſunt numero ut juſtum volumen efficerent. quod ſi exiguum ſibi fore videatur, adderet Paradoxa Chriſtiana, quæ ad te mittere inſtitui. nam, orationum ſimilitudinem præ ſe ferre videntur. quandoquidem optimus Naudæus nos ludere videtur, cum dicit, eas, quas ſecum attulit in Galliam, neſcio cui, jam diu dediſſe, & quia nomen illius non dicit, neque patriam nominat, eum ne natum quidem eſſe opinor. ſed æquo eſt animo ferendum hoc damnum; verum non poſſum interdum quin doleam, cum cogito, illud mihi ab eo contingere, à quo minime ſperabam. Non potui hac hebdomade axioma quartum deſcribere, illudque ad te mittere. nam fui occupatiſſimus. Ægre mihi

mihi eſt, Bartoldum Nihuſium, cui plurimum debeo, gravi conflictatum morbo fuiſſe. ſed, quoniam jam pene ex eo convaluiſſe audio, eſt quod magnopere gaudeam. utinam Deus, à quo bona cuncta proveniunt, hoc illi beneficium eſſe perpetuum velit. Vale, ac tandem nos, pacis inter Principes Chriſtianos compoſitæ nuncio, hilares redde. Romæ, III Non. Iulii CIↃ IↃC XLVII.

LXXII.

IMagines, quas miſiſti, diſtributæ ſunt inter eos, quos in tua ad me chartula numeras. meam mihi retinui; Allatius ſuam habet; atque uterque noſtrum maximas tibi gratias agit. & Allatius, quemadmodum jubes, duas ex illis in Breviario D. Gaſparis de Simeonibus, per eum qui eſt illi à cubiculo, collocandas curavit. qui etiam dono tibi dat orationem Lippi Brandolini de Chriſto pro nobis paſſo, quam poſtulat. nam niſi ipſe fuiſſet, qui eam in quodam libro inſertam habebat; ſolet enim ejuſmodi orationes colligere, ex eiſque, ne pereant, unum corpus efficere; & jam multos codices implevit: niſi, inquam, hæc ejus diligentia ſubveniſſet deſiderio noſtro, inanis omnis noſter labor, in ea perquirenda atque invenienda, fuiſſet. Non ero longior; quoniam nimis multis loquor in hoc quarto Paradoxo, quod mitto. reliqua duo, quæ ſuperſunt, expectate. Vale. Romæ, IV Idus Iulii CIↃ IↃC XLVII.

LXXIII.

CVm me, in ea ſigna, mente & cogitatione conjicio, quæ Chriſtus Dominus horribilem ſupremi judicii diem, quem ſtatim mundi totius conflagratio conſequetur, anteceſſura prædixit; illum jam adventare, ac propius abeſſe, conjicio. mitto hominum improbitatem atque nequitiam, quæ, quoniam caritatis in eis ardor refrixit, eo pervenit, unde vix longius progredi poſſit. mitto litium moleſtias quibus inter ſe ipſi divexant, inſidias quas ſibi invicem ſtruunt, technas ac dolos quibus alter alterum aggreditur, quo ex bonis, impune ereptis,

rem ſuam augeant, illius imminuant. mitto, inquam, hæc omnia. non ne cetera ſigna, quæ, ad perterrendos hominum animos, majorem vim habent, fere omnia conſecuta? quis neget? vidimus ignes, ex Veſuvii vertice erumpentes, proxima ſibi loca exurere, ac rerum exuſtarum cineres in remotiſſimas regiones effundere; vidimus, proximis ſuperioribus annis, terræ ſolum, horrendis concuſſum motibus, urbes integras, quas ſuſtinebat, excutere atque diruere, & immenſis diſcedens hiatibus, eaſdem una cum civibus abſorbere, atque intra viſcera condere. ſentimus nunc etiam ſtrepitus armorum, quæ jam diu totam Europam concutiunt; &, quod magis nos terreat, nullum intelligimus illis finem modumque conſtitui. audivimus provinciarum regnorumque à ſuis Regibus defectiones; & nunc demum ad aures noſtras deferuntur inſignes, inſulæ Siciliæ Regnique in primis Neapolitani, ſeditiones, in quibus populi multitudo, concitata adverſus eos qui Reſp. illas pro Rege Hiſpaniarum adminiſtrant (quippe qui intolerabilibus tributis, quæ quotidie imperantur, & acerbiſſimis eorundem exactionibus, domus ſuas explere, & regna illa exhaurire dicuntur,) queritur, clamat, atque onera illa, quibus opprimitur, excutere, & à cervicibus ſuis repellere ac removere, conatur. &, ſi unquam populo conceſſum eſt, ut jure concitatus videretur, nullam ea juſtiorem cauſam fuiſſe, populares illi fere omnes affirmant, quà populus Neapolitanus in eos commotus eſt, quibus, ipſius quotidie emungendi exuggendique, nulla ſatis ſatietas eſt. Orta eſt hæc ſeditio Neapoli, prid. Non. Iulii, exiguis ſane initiis. nam cum Electus Populi (hoc enim nomine ſummum Populi Magiſtratum appellant,) corripi & in carcerem condi imperaſſet pomarium quendam Puteolanum, qui Puteolis venalia quædam poma illuc advexerat, eò quòd intolerabile quoddam vectigal, mercimonio illi nuper impoſitum, & à quo populus ille vehementer abhorrebat, non ſolviſſet; illius defenſionem primum ſuſceperunt omnes qui ibi aderant; quorum numerus, magna ex parte, conſtabat ex pueris; qui eundem lictorum manibus eripuerunt, & Electum illum male mulcarunt. cumque rumor, qui percrebuerat, alios atque alios, ut ſit,

ut ſit, eo advocaſſet, re cognita, omnes, furentibus ſimiles, clamores tollere, poma, ibidem venalia expoſita, evertere, conculcare, rapere, popinas ibi propinquas direptioni mandare. Non defuit Prorex accurrere, ac multis aureis nummis, in multitudinem illam conjectis, exortam ſeditionem cohibendam ſedandamque curare; ſed nihil profecit; immo manifeſtum periculum vitæ adivit, ac vix fuga, qua ſe in templum Fratrum Minimorum contulit, ſalutem invenit. Sed, eo ſibi è manibus elapſo, populus in illius ædes furorem, quo præceps ferebatur, omnem convertit, atque in eas irrupit, militibus Germanis, quibus earum cuſtodia commiſſa erat, arma eripuit, ſcalas inſcendit, feneſtras vitreas comminuit, umbellam, in qua Proregis inſignia, Phrygio opere elaborata, cernebantur, earum ædium aulæ præfixam, detraxit, conculcavit, abjecit; tum ſcamna, ſellas, ſcrinia, conopea, ſericas atque aureas veſtes, quibus parietes veſtiebantur, acceptas præcipitarunt in viam; nec inventus eſt quiſquam, qui quidquam ex illis eriperet. tum, majore furore percitus, ad domos eorum, cum facibus advolat, quos, egenos, ex vectigalibus illis ad ſummas divitias perveniſſe conſtabat. in quibus fuerunt, Bartholomæus quidam Aquinas, & Titta Anaclerius, Electus populi; qui omnes, amiſſis bonis, male partis, ad eoſdem egeſtatis terminos, unde diſceſſerant, redierunt. Eadem invidiæ flamma, Ducis Caivani, ex nobiliſſima Barilorum familia, domus exarſit; in quam congeſtæ tam multæ omnis generis divitiæ fuerant, ut omnem æſtimationem excederent. neque quidquam propius eſt factum, quam ut Ducíſſæ Montis Draconis palatium, eodem calamitatis jure comprehenderetur; ſed vix tandem precibus Proregis, qui jam cum populo redierat pene in gratiam, ex illo incendio periculoque evaſit. incenſum eſt etiam tabularium, ubi publicanorum tabulæ aſſervabantur. nulla alia vox tota urbe exaudiebatur, niſi hæc, Vivat Rex Hiſpaniarum, ſed peſſima, ipſius magiſtratuum, Reip. adminiſtrandæ ratio depereat. Ille, cui populus, ſui regendi, poteſtatem imperiumque permiſit, eſt piſcator quidam, Maſanello, hoc eſt, Thoma Anello nomine, annos natus non amplius tres & viginti, hic, incredibile

memoratu eſt, quanta cum prudentiæ, diligentiæ, vigilantiæque laude, commiſſam ſibi Remp. gerat; Nicolao Laurentio propemodum ſimilis. ſed ille, bonis initiis, malos exitus habuit. hic præſentibus inſtare, futuris proſpicere, inſidiis, quæ parentur, occurrere, atque eadem inimicis facere quæ illi vellent efficere; ut tum accidit, cum à Duce Matalonæ atque à Ioſepho Carafa, ejus fratre, magna exulum ac latronum manus in urbem introducta eſt, ut populi principes, qui in periſtylium Fratrum Carmelitanorum de Rep. coiſſent, ad unum ferro delerent. qua re ab illo, qua erat ſagacitate, animadverſa populoque patefacta, ea hominum multitudo, quæ cum ipſo erat, adeo iſta atrocitate commota eſt, ut in latrones illos impetum faceret, eorumque ſe ſanguine exſaturaret, Ioſephum vero (nam Matalonæ Dux, ejus frater, ſe Beneventum fuga receperat,) captum, & capite multatum, per vias urbis, equi caudæ alligatum, raptandum curaverit. atque Maſanelli conſilio nunc agitur, ut ex ejus Ducis & Tittæ Anaclerii bonis, Neapoli, armamentarium inſtituatur, unde quinquaginta hominum millia, cum ſit opus, armentur. interea, rebus adhuc dubiis, aditus viarum ac platearum, doliis ſarmentiſque inædificavit, & in iis tormenta diſpoſuit, ac vetuit edicto, ne quiſquam cum telo per urbem incederet; ac, ne illud veſte poſſet obtegere, imperavit, ut omnes, tum laici tum clerici, tum ex familiis Religioſorum, ſine palliis ambularent. Hoc loco, una cum Staſimo illo Plautino libet exclamare, *Vt ſæpe ſumma ingenia in occulto latent*! hic, qualis imperator! tamdiu in occulto latuit. in hoc tam ancipiti dubioque periculo, magni æſtimata eſt Cardinalis Philomarini, ejuſque fratris Capucini, opera; qui hac illac concurſarunt, ut pacem conciliarent, controverſias componerent, atque urbem metu liberarent. tum, in ejus domo actum eſt de conditionibus pacis inter Proregem & Maſanellum, qui illuc, cum ducentis armatorum millibus, quod incredibile videatur, acceſſit. quem Prorex, ſimul ac vidit, pluribus circumplicavit amplexibus, & aureum ejus collo torquem injecit. quem ille recuſavit, ac noluit accipere. Pacis conditiones nihil fere novi continent, ſed unum tantum habent, ut ne populo ea

beneficia

beneficia ac privilegia eripiantur, quibus Carolus V eum ornavit, quum, Tuneto capto, Neapolin, triumphanti ſimilis, venit. At, quem exitum res ſit habitura, in incerto eſt. Maſanellus nihil temere agit, ac conſiliis in primis utitur Iulii cujuſdam Genuini, qui olim, Electus, rebus Ducis Oſſunæ favebat, qui in ſuſpicionem regni affectati venerat. Vale. Romæ; x v Kal. Auguſti CIↃ IↃCXLVII.

LXXIV.

O Dubium & incertum rerum humanarum ſtatum! ô ſtultum & miſerum, qui in eo, quod ſibi arridere videat, ſuas ſpes & cogitationes fundare ac ſtabilire conſtituat! nam brevi, ſtultitiæ ſuæ pœnas juſtas ac debitas dabit. ô proclives ac lubricæ ad ſummam amplitudinem viæ! in quibus, qui ad eam nituntur, antea ſæpe corruunt, quam id, quod volunt, attingant. ô in altum editi excelſique loci pericula ingentia ac manifeſtiſſima! qui adeo eſt propoſitus, adeo verticem extollit, ut ab omnibus ventis invidiæ circumflari poſſe videatur, ac magnum & admirabile quidquam præſtare dicatur, qui ita ſe in eo contineat, ut neque imperitorum invidia, neque iniquorum calumniis, neque improborum contumeliis, actus, impulſus, agitatuſque, de eodem præceps exturbetur. Sed quorſum, inquies, hæc tam longè à te repetita querimonia ſpectat? cujus nam horribilem, ex altiſſimo dignitatis gradu, caſum atque ruinam lamentaris atque deploras? Maſanellum illum, cujus, ſuperioribus meis ad te literis, infimam humilitatem, immundaſque ſordes, propemodum ad regalis celſitudinis faſtigium evectas fuiſſe narravi. miſer hic, qui puncto pæne temporis, populi totius ſuffragiis, civitatis Neapolitanæ ac Regni totius principatum fuerat adeptus, altero etiam temporis puncto, ab eodem populo, ab ea celſitudine in qua eum collocaverat, eſt præceps ejectus, neque ſolum ſpoliatus dignitate, quod tolerabile videri poſſit, verum etiam vita privatus. quam calamitatem non tantum in ſe retinuit, eaque ſolus perfunctus eſt, ſed, in totam ſuam domum, eam refudit; ſiquidem, una cum ipſo, uxor ac

filii publice ſunt interfecti, quamobrem hæc illi felicitas, quaſi ſolſtitialis herba, ut dicitur, fuit, quæ repente exorta eſt, ac repentino occidit. cauſa tam ſeveræ in ipſum animadverſionis ea fuiſſe narratur, quod in Proregis amicitiam veniſſet, eoque nimis familiariter uteretur. homines, nimio libertatis, quam deguſtare cœperunt, amore incenſi, & capitali in regios magiſtratus odio inflammati, veriti ſunt, ne homo levis, ac fortaſſe venalis, magno aliquo præmio ſibi propoſito, ad illorum partes tranſiret, ac populi cauſam proderet. Adhuc ſeditio perſeverat, ac tam magnos plebs illa, ad libertatem tuendam, ſpiritus animoſque ſumſit, ut non ſolum viri arma ſuſceperint, verum etiam mulieres, ad ducentas, ſe gladiis, galeis, haſtis, ſclopis, armaverint. atque ex ipſis centurias duas effecerunt; quæ, agmine ad militiæ morem inſtructo, tota urbe incedunt; neque illis deſunt tympaniſtriæ, ſigniferæ, duces. Cardinalis Farneſius, Odoardi, dum viveret, Parmæ ac Placentiæ Ducis, frater, hujuſque, qui nunc regnat, patruus, antea quam urbi, quæ ſumme eum expectabat, vultum ſuum oſtenderet, eſt mortuus. At mihi, in hujus familiæ ampliſſimæ clariſſimæque caſus intuenti, admirari contingit, ac quærere, cur paucis, annis an menſibus? mors tam multos ex ea ſuſtulerit; matrem primum Odoardi, tum Odoardum ipſum, deinde ſororem, poſtremo Cardinalem. at, qui altius mentis aciem, quam ad ea quæ oculi percipiunt, attollere non audent, tot deinceps funera ad naturales cauſas, & ad communem moriendi conditionem, referre ſe dicent; at ii, qui perſpicaciori ingenio, his inferioribus relictis, divinæ providentiæ ſingula attribuunt, ejus rei cauſam in æternæ ſapientiæ conſiliis, quæ ſunt inveſtigabilia, latere affirmabunt; ad quæ, cum temerarium vel potius nefas ſit, velle penetrare, ego homuncio meis me limitibus continebo, neque ea, quæ Deus intra ſuæ infinitatis abyſſum habet incluſa, quæque nihil ad me attinent, perſcrutari & inveſtigare conabor. Vale. Romæ, XI Kal. Auguſti CIↃ IↃC XLVII.

LXXV.

Regni Neapolitani res dicuntur pejori eſſe loco, quam antea. Nihil ad nos affertur, niſi nobilium fuga, cædes, bonorum direptiones, ædium incendia. Vrbs, ſine jure, ſine legibus, infimæ plebis arbitrio adminiſtratur; opificum ac mercatorum tabernæ, clauſæ, magnum mœrorem luctumque præ ſe ferunt; eleemoſynæ, quæ antea in pauperes à civibus large copioſeque manabant, conſtiterunt, vel potius exaruerunt; ut eæ religioſorum hominum familiæ, quæ emendicato victitare conſuerunt, ab omni auxilio deſtitutæ, cogantur urbe illa pedem extollere, atque alias regiones perſequi, ubi, quod edant, inveniant. Omnino miſerabilis eſt urbis, in ſummum diſcrimen adductæ, facies. plebeis cum nobilibus omnis res eſt; eos inſectantur, oderunt, extinctos eſſe cupiunt. neque ſolum hoc tantum tamque acerbum odium, hominum vulgum invaſit, ſed penetravit etiam intra ſacrarum Deo Virginum clauſtra domoſque. nam, quæ ibi ancillarum numero habentur, adverſus virgines nobiles conjurarunt, officii terminos deſeruerunt, obedientiamque erga illas exuerunt. Neapolitanorum exemplum reliquæ Regni illius civitates ſunt ad unam omnes ſecutæ; quæ, quidquid in ipſis erat nobilitatis, foras ejecerunt, bonis everterunt, eorum domos incenderunt; qui nunc, inopia & egeſtate coacti, in agris, more ferarum, vitam agunt. Defecerunt etiam à ſuis dominis oppida fere omnia, eiſque portas clauſerunt; quod dicant, imperia eorum injuſta, ſuperba, crudelia ſe non poſſe amplius pati; neque poſthac alium ſibi dominum, niſi Regem Hiſpaniarum, imperaturum. Ajunt, quod nolim, Converſani Comitem, Neritonenſem Epiſcopatum, unde fuerat ejectus, magna armatorum manu comparata, fortiter oppugnare. Deum ora, ut ſit gregi, Illuſtriſſimo Chiſio ab ipſo commiſſæ, propitius. Mitto, è quatuor noviſſimis tertium, nempe de metu Gehennæ. expecta quartum, de æterna Sanctorum felicitate: cui ſermo alter accedet, rationem continens, qua poſſint Iudicii & Gehennæ mala evitari, & felicitatis æternæ bonum obtineri. maximas Deo im-

mortali gratias ago habeoque, quod Illuſtriſſimum, quem dixi, mihi virum objecerit, cum quo, hoc tam honeſto genere exercitationis, ſenectutem meam oblectem. Aveto. Romæ, XVIII Kal. Sept. CIↃ IↃC XLVII.

LXXVI.

QVinque dies ſunt ipſi, quibus ea febris vi correptus ac divexatus jaceo, ut mea manu, quemadmodum ſoleo, conſcriptas ad te litteras mittendi facultas mihi prorſus eripiatur. Cujus quoque febris cauſa factum eſt, ut minime ſermonem de felicitate Sanctorum, ad exitum perducere potuerim. Eum tamen quamprimum exſpecta; nam in ſpem certam venio, fore, ut febris hæc brevi omnino decedat: jam enim mecum incipit mitius agere. idque jus quidem poſtulare videtur. nam, cur diutius in me pertinax & obfirmata ſæviret? ſtudiorum aſſiduitate excepta, nullas me cauſſas attuliſſe cognoſco. verum, deinceps non adeo ſtudiis indulgebo, ſed modum quemdam ſtatuam, quo & ſtudia apud me vigeant, & valetudinis ratio ducatur accuratior. Accepi nuper primum tertiæ Pinacothecæ quaternionem; itaque doctiſſimo Nihuſio plurimas, meis verbis, ingentes, & immortales gratias ages. ad quem recuperata valetudine ſtatim ſcribam. Tu interim vale, meique in tuis ad Deum precibus & ſacrificiis eſto memor. Mitto ad Nihuſium oris imaginem pueri Iacobi Martini Modaneſii, quæ, ut mihi quidem videtur, qui eum de facie novi, ei quam ſimillima efficta eſt. Romæ, X Kal. Septemb. CIↃ IↃC XLVII.

LXXVII.

OCtavum ac vigeſimum jam diem, difficili moleſtoque implicitus morbo detineor, adeo ut medici diffiderent. Sed, quamvis nunc febris me careat, vires tamen, quas illa ſecum abſtulit, adhuc recuperare non valeo. multa me circumſtant incommoda; alvus præter modum adſtricta, quæ, niſi vi coacta, officio ſuo fungi recuſat; tum, pituita, quovis glutine tenacior, quæ, pectori inhærens, vix ac ne vix quidem inde extrahi poteſt. hæc,

cibo,

cibo, quem capio, ſe immiſcens atque implicans, verum illius ſaporem ac guſtum inficit atque corrumpit. accedit ſummum ciborum omnium, & carnium præſertim, faſtidium: &, ſi quid ſtomachus videatur appetere, id eſt ejuſmodi, ut perniciem potius quam illi ſalutem poſſit afferre. quamobrem nullum à te mihi munus prodire ad res meas aptius poterat, quam Chriſti crucifixi imago; ut inde nimirum plurima atque graviſſima hauriam documenta patientiæ. me igitur, ad illius ſimilitudinem, quam maxime poſſim, effingam. Maxima Nihuſii ad me literæ moleſtia affecerunt; quæ epiſtolam requirunt, ad eum ſcriptam, cujus nomini hæc poſtrema Pinacotheca dicatur. quam ego epiſtolam, longæ cujuſpiam laudationis, quam epiſtolæ, ſimiliorem, (nam amicum, optime de me meritum, ornare conſtitueram,) prius, quam ipſam Pinacothecam, miſi. quamobrem peto à te majorem in modum, ut quæras, inveſtiges, num ea uſpiam domi tuæ latitet; nam ſcripſiſti ad me, nihil eorum, quæ ad tertiam hanc Pinacothecam pertineant, interiiſſe; vel ſaltem hoc ipſum Nihuſio ſignifices. nam magna ſpe teneor, fore ut ea inveniatur, ſi diligentia in perquirendo adhibeatur. Epiſtolæ inſcriptio hæc erat: *Reverendiſſimo Patri, D. Andreæ Foſſæ, Abbati, Canonico Reg. Lateranenſi.* Non potui riſum tenere, cum ex Nihuſii literis perlatum eſt ad me, faſciculum orationum, aliarumque ſcriptionum mearum, à Naudæo exhibitum, Vlyſſiponem fuiſſe perlatum, ac paucos poſt menſes Amſtelædamum eſſe referendum. ac venit mihi in mentem, optare, ut idem ſcriptis meis eveniat, quod vinis ſolet. Etenim, ſi vina, navigio quopiam aſportata, majorem vim ac ſuavitatem adipiſci dicuntur; profecto nihil erit orationibus meis elegantius, nihilque præſtantius, quæ tot maria ſint emenſa. Sed laſſitudo plura ſcribere me prohibet. Vale. Romæ, XIV. Kal. Octob. CIↃ IↃC XLVII.

LXXVIII.

ADhuc imbecillitas & infirmitas corporis ac virium perſeverat; adhuc ciborum fere omnium faſtidium, omnem à me edendi voluntatem propemodum abigit;

nec quidquam fere eſt, quod palato meo ſapiat; tum, quod me vehementer ſolicitum habet, alvus obedientiam exuit, atque officium ſuum præſtare, niſi externi cujuſpiam auxilii ope adjuta, nequit. Cœperam, ſuperioribus diebus, de medicorum ſententia, interdiu è lectulo pedem foras efferre, & in cubiculo deambulare, tum, ſpatiis aliquot factis, lectum repetere. quod cum mihi videretur non male ſuccedere, animum, ſuperiorem viribus, ſumſi, atque auſus ſum ad ædem D. Honuphrii, arduo difficilique aſcenſu, famuli brachio innixus, accedere; ſed brevi audaciæ meæ pœnas dedi. ea enim ambulatio ita me ad languorem dedit, ut pæne exanimis domum redierim, lectoque me commendarim; ubi totum diem fuſus, ac mortui ſimilis, jacui. Iam in me experior, quod antea didiceram; ſenectutem longis morbis obnoxiam eſſe. quamquam, meus hic quem exitum ſit habiturus, plane non videam. Benedictus Deus & Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, cujus voluntati ut cuncta obtemperent, quotidie in oratione Dominica ſæpius efflagito. itaque, ut facta verbis reſpondeant, æquum eſt maxime, me illi ad nutum præſto eſſe, neque ulla in re ab eodem diſſentire. Superiori hebdomade, nullas, neque à te neque à Nihuſio, literas, neque quaternionem aliquem Pinacothecæ, accepi; verum moram hanc æquo animo ferre poſſum, ſi epiſtola ad Abbatem Andream Foſſam reperiatur. Vale, Tyrrhene clariſſime, ac Nicii tui, qui te plus oculis ſuis diligit, in tuis ad Deum ſacrificiis ac precibus, memor eſto. Romæ, VII Kal. Octob. CIƆ IƆC XLVII.

LXXIX.

POſtrema tua epiſtola, in qua aſſiduam mortis & rerum humanarum vanitatis meditationem tantopere laudas, indicio eſt, ſermonem de morte, qui primus eſt ex quatuor noviſſimis, conſpectum tibi eſſe. ſequentur deinceps alii. quibus accedet porro alius, qui doceat, quomodo mortis metus, ac divini judicii Gehennæque terror, propulſari à nobis poſſit. Valetudinis meæ res paulo meliore ſunt loco. nam pituita decreſcit, contumax alvus ad officium redit, majores corpori vires accedunt,

jam

jam ut in locis planis æquiſque ambulare, non ita difficili negotio, ut antea poſſim. ſolum appetitus cibi potuſque adhuc eſt in mora. ſed hic quoque regredietur, ſimul ac pituita, quæ illum moratur, abſceſſerit, ac palatum & fauces occupare deſierit. ac, ſi pergent omnia fieri meliora in dies, magna me ſpes tenet, fore, ut ante hyemem convaleſcam. verum hæc mea ſpes, ſicut aliæ omnes, divinæ voluntati arbitrioque, cui me meaque omnia jam diu permiſi, prorſus innititur. quamobrem, ſive ille me ægrotare ſive recte valere, ſive ſalvum eſſe ſive exſtinctum velit, id mihi placere ſummopere debeat, quoniam ita divinæ ejus voluntati, cui nefas eſt repugnare, videatur. Aveo, ex literis Nihuſii certior fieri, num epiſtola, qua Pinacotheca D. Andreæ Foſſæ dicatur, ſit inventa. non enim fit veriſimile, à ceteris eam paginis, quæ, ut ſcribis, ſalvæ iſtuc omnes pervenerunt, diſtractam ac divulſam interiiſſe. Hugo Vbaldinus te plurima ſalute impertit. hodie mane Capranicam, virium colligendarum animique relaxandi gratia, ſeceſſit. Deus nobis tam probum, tam pium, tam elegantem virum, ad veteris ſanctitatis exemplum, quam diutiſſime incolumem præſtet. Cura ut valeas. Romæ, pridie Kal. Octob. CIϽ IϽCXLVII.

LXXX.

HEri, VIII Idus Octobris, habita ſunt Cardinalium comitia, quorum nomina cum negotiorum tuorum geſtor, vir certus ac diligens, ad te ſcripſerit, ſuperfluum eſt ac non neceſſarium, me ea repetere. an autem ea cooptatio fuerit è re pub. hoc eſt, ſi eorum unuſquiſq; ſplendorem ordini, Eccleſiæ ornamentum, populo Chriſtiano utilitatem, ſit allaturus, quæ in eo maxime requiruntur qui in illud Collegium cooptatur, nihil certi poſſum affirmare, tum quia nemo illorum mihi cognitus eſt, quantum doctrina, quantum vitæ ſanctimonia, quantum in Remp. meritis valeat. ſed neceſſe eſt omnia hæc illis ineſſe, nihilque, neque à doctrina, neque à probitate, neque à rebus præclare geſtis, deeſſe; quandoquidem, ſapientiſſimi Pont. judicio, digni ſunt habiti, qui ad illum ordinem ac numerum adſcriberentur. tum etiam, quia id quærere

rere omiſi, quia *non tantum mihi eſt ab re mea otii*, quemadmodum inquit ille, *aliena ut curem*, *eaque quæ ad me nihil attinent*. magis morbus me meus ſolicitat, qui, ſecundum jam menſem, miſerum habet, neque adhuc profectionem adornat; ut in me ſedem ſuam perpetuo conſtituiſſe videatur. omnis cibi appetitus exulatum abiit, & in ejus locum, ſummum eduliorum omnium odium faſtidiumque ſucceſſit; adeo ut ovis ac juſculis animum, ne aufugiat, retinere compellar; ut etiam hæc, ex longa conſuetudine uſuque, jam mihi ſtomachum moveant, ac vix ſuſtineam aſpicere. tum, aſcenſu paulo arduo ingredi non licet; nam continuo ita arcte meare ſpiritus incipit, ut penitus intercluderetur opprimereturque, ſi longius inſequi pergerem. neque, ob eam cauſam, liberum eſt mihi, domus meæ ſcalas aſcendere. quamobrem, cum ex conclavi ſuperiori ſemel deſcendiſſem, difficultate, ea rurſus ſuperandi, deterritus, coactus ſum in cubiculo, viæ proximo, ſed amœno ac ſalubri, conſiſtere; ubi etiam nunc moror. ſed has mihi ærumnas creat pituita, ſupra quam dici poteſt, pertinax atque moleſta, quæ adeo pectori inhæret, ut, quamvis totos dies noctesque tuſſire non deſinam, aliquam ejus particulam vix vi poſſim extrudere. accedunt moleſtiſſimi flatus, intus incluſi, qui renes & latera, tanquam zona, præcingunt, neque ſurgendi ſtandique poteſtatem faciunt. hoc loco, meæ res ſunt. Vale, Tyrrhene præſtantiſſime, & in id opus, in quo verſaris, diligenter incumbe, ſapiens es, neque mortalium cuiquam locum te admonendi relinquis, ut labores quos capis, ærumnas quas ſuſtines, ad Dei immortalis & Eccleſiæ ipſius gloriam referas, earumque non ab hominibus ſed à Deo ipſo præmia & coronam exſpectes. nam, qui mercedem ab hominibus expetunt, brevem illam & corruptibilem habent; qui autem à Deo requirunt, æternam & incorruptam aſſequuntur. Iterum vale. Romæ, VII Idus Octob. CIↃ IↃC XLVII.

LXXXI.

AD tot tantaſque ærumnas, quibus, ex tam difficilis morbi diuturnitate, excrucior, aliqua non levis voluptas,

luptas, quam tuæ mihi literæ attulerunt, irrepſit; ex quibus intellexi, ſermones de quatuor noviſſimis meos iſtuc perveniſſe. atque utinam Deus typographo cuipiam hanc mentem injiceret, ut eos vellet, una cum Paradoxis, & ſupplice ad Deum libello, typis excudere. ſperarem enim, non minimam Chriſtianis & Catholicis, ab illis omnibus, utilitatem & fructum eſſe proventurum; qui validis, ni fallor, rationum ponderibus impulſi, avocarent animum à rebus humanis atque mortalibus; & ad res divinas æternáſque traducerent. præterea, in ſupplice illo libello eam vim pono eſſe ac pondus, ut, ſi quis, intimo animi dolore ac ſenſu affectus, eum Deo porrexerit, fieri non poſſit, quin illum ad miſericordiam adducat, ſibique ut ſit propitius, efficiat. at vide, quo nam ſpes, quæ inflatum celeriter accipit, me vela dare compellat, nimirum, ut credam, fieri etiam poſſe, ut cenſores Colonienſes, quos apprime pios ac religioſos viros eſſe conjicio, ſi opus iſtud aſpiciant, probis ac pænitentiæ ſtudioſis hominibus, diutius non poſſe deberi, exiſtiment. Pollicetur mihi Cæſius, ſe omnia mea typis mandaturum, ſimul ac ſarcinula orationum mearum ex Luſitania, quo delata fuerat, referatur. ſed hæc res, quam promittit, incerta eſt; at ego dari mihi aliquem poſtulo, qui celerius huic meæ tam honeſtæ cupiditati occurrat; cui ſi Deus obſecundaverit, maximo beneficio me ab eo eſſe affectum arbitrabor; ſin autem aliter illi videbitur, hanc cupiditatem meam, utpote ſupervacaneam, ita obedientiæ legibus obſtrictam dabo, ut amplius ſe commovere non audeat. Iam multi ſunt dies, poſtquam nullæ à te mihi literæ redduntur, quæ ſpeciem habeant epiſtolæ, ſed tantum breves ac raræ ſchedulæ, quæ minimum quidem verborum, ſapientiæ autem plurimum habent. quod argumenti loco eſſe nobis debet, adeo te, conſiliis dandis, diſtrictum detineri, ut privatis amicorum officiis dare operam non liceat tibi, ſi velis. utinam tuis conatibus ii proveniant exitus, quos optamus, neque illis horribiles iſti Neapolitani tumultus obſtent, qui ſuis motibus totum illud Regnum concuſſerunt. qui utrum Hiſpanorum claſſe, quæ illuc appulit, compreſſi ſint nec ne, certum ſciri non poteſt; quod omnes, terra marique, ad urbem aditus

aditus à Regiis obſeſſi teneantur, ne literæ, quæ de his rebus doceant, permeare ad nos poſſint. itaque varia à variis, pro cujuſque ſtudio, finguntur ac divulgantur. Cura, ut valeas. Romæ VIII Kalend. Novembris CIↃ IↃC XLVII.

IANVS NICIVS ERYTHRÆVS
obiit Romæ piiſſime,
Idib. Novembr. CIↃ IↃC XLVII.

FINIS.

LECTORI
BARTOLDVS NIHVSIVS.

Qvum Nicii ad Tyrrhenum epiſtolas etiam poſteriores mandari typis facerem; in earum tum ſexageſima tertia tum ſeptuageſima, tum ſecunda poſt, celebrari videbam Lippi Aurelii Brandolini Orationem de Paſſione Domini. adeoque mox in id incubui, ut eam & nanciſcerer & huic libello ſubjungerem. Obtinui, quod quæſivi. Gratiſſimum hoc jam, ſcio, erit nemini non eorum, qui, res diviniſſimas digne ab oratore proponi, amaverint. Vale. XV *Idus Novembr.* CIↃ IↃC XLVIII.

LIP-

LIPPI AVRELII
BRANDOLINI,
AVGVSTINIANI EREMITÆ,
ORATIO

De virtutibus D. N. Ieſu Chriſti, nobis in ejus Paſſione oſtenſis;

Romæ olim ad Alexandrum VI, *Pont. Max. in Paraſceue, habita, ac tantum probata, ut iterum atque iterum eam repetere autor cogeretur.*

Digitized by Google

Ornatiſſ. & Reverendiſſ. P.

F. ANGELO ROCCA,

AVGVSTINIANO EREMITÆ,

SACRARII PONTIFICII PRÆFECTO,

Aldus Manutius S. D.

ORationem de Virtutibus D. N. Ieſu Chriſti, nobis in ejus Paſſione oſtenſis, à Lippo Aurelio Brandolino, Auguſtiniano Eremita, ante centum annos, coram Alexandro VI, *Pont. max. & ſacro Senatu, in Sacello Pontificio habitam, atque tantum probatam, ut iterum ac iterum eam repetere autor cogeretur, biennium ipſum in ſinu à me geſtatam, legendam omnibus trado; ne ſolus tanto bono, ſępius à me devorato, fruar. Ciceronem, Romanę eloquentię parentem, ęquat; materie proculdubio ſuperat. Eam tibi offero, pluribus de cauſſis: quod ex eadem familia ſis, quod iiſdem veſtigiis inſiſtas, & jam tot tantaque, in omni tua vita, ſingularis doctrinę & ornatę eloquentię ſpecimina dederis, quod Sacris Pontificiis pręſis, multoſque ibi concionantes ſępiſſime audias; quod noſtrę hoc officium antiquę neceſſitudini debeatur; quod denique habitatione proximus tibi ſim, animorum conjunctione proximior. Habe igitur munuſculum hoc, mentis & voluntatis meę certum pignus. Erit tuę humanitatis, id ita à me accipere, ut me jamdiu tibi addictum deditumque arbitreris, ob tuas maximas virtutes, Sixto* V, *Pont. max. ingeniorum acerrimo ęſtimatori, & Clementi* VIII, *ejus ſucceſſori, (cui Deus, bona omnia aggredienti, perpetuo faveat) maxime probatas. Lippum lege. Cujus alia quoque penes me ſunt: Paradoxa nempe Chriſtiana; & Dialogus de humana vitę conditione, ac toleranda corporis ęgritudine,*

ad Matthiam Corvinum, Hungariæ & Bohemiæ Regem, & ad Beatricem Arragoniam, Reginam, ejus uxorem: &, de ratione ſcribendi, libri tres; de quibus quid ſenſerit Sebaſtianus Corradus, vir is, cui bonæ litteræ plurimum atque plurimum debent, cum in eos, primum à ſe è tenebris erutos, ad Senatum Populumque Regienſem ante L *annos præfaretur, hic adſcribere volui:* Vir, *inquit*, ille, quamvis pæne cæcus, certe Lippus, cum Rhetoricam in Pannonia, invitatus à Matthia Rege, docuiſſet, ex ea præcepta collegit, & à ratione dicendi ad rationem ſcribendi tam docte transtulit, & tam diligenter accommodavit, ut nihil, neque majorum noſtrorum neque noſtra memoria, doctius aut elegantius in eo genere ſcriptum eſſe videatur. *Magnus ſane vir fuit Lippus, magniſque viris acceptus; ſummis, mediis, infimis, apprime carus; præcipueque Pontificibus, Imperatoribus, Regibus; at, quibus Regibus? iis nempe, quorum memoria inter Reges omnes Regia erit ſemper; litteratis hominibus, iiſque inter ſummos ſummis, Hermolao Barbaro, Poggio, & univerſis ſui ævi. Sed, ô utinam ea mihi facultas eſſet, quæ animo reſponderet. non deſideraremus certe multa, quæ jacent, fortaſſeque diutius, quam par eſt, jacebunt. Vires deficiunt; non languet animus; nihilque, vel magnum, ſperare tamen non audet. Non ego ad minima, natura, factus. Igniculos habeo, ad poſteritatis utilitatem maximos: qui ſi aliquando poſſent erumpere, bono publico me natum omnes, vel ipſi invidi, (ſi qui bonum publicum invidere poſſunt) velint nolint, affirmarent. Interim vivamus. Iuvat enim, eos verſus ſæpe in memoriam meam revocare, quos Aldus avus, cui mortuo bona omnia boni omnes precari, ſummo jure, debent, in ore amoreque habebat:*

Θαρσεῖν χρὴ φίλος, Ἄλδε. τάχ' αὔριον ἔσσετ' ἄμεινον.
Ἐλπίδες ἐν ζωοῖσιν, ἀνέλπιστοι δὲ θανόντες.
Χ' ὠ Ζεὺς ἄλλοκα μὲν πέλει αἴθριος, ἄλλοκα δ' ὕει,

Cras melius fortaſſis erit. confide, Manuti.
Viventes ſperant; non eſt ſpes ulla ſepultis.
Et quandoque pluit Deus, & quandoque ſerenat.

In Vaticano, Kal. April. CIↃ IↃ XCVI.

ORATIO
DE
PASSIONE DOMINI.

Etſi tuus, tuique ſacratiſſimi Senatus, jucundiſſimus conſpectus, celeberrimuſque hic totius orbis terrarum conventus, me majorem in modum recreat atque exhilarat, Beatiſſime Pater; quippe quem ego ſemper optaverim, ſperare vix umquam ſum auſus: vincit tamen mœror publicus privatam lætitiam, communiſque Eccleſiæ Chriſtianæ luctus, unum me hilaritatem præ me ferre, non ſinit. Video enim ſqualere, depoſitis ornamentis, pulvinaria omnia; nudata mœrere altaria; parietes ipſos, ſitu quodam, ſuum dolorem ſignificare; te quoque, ac Senatum tuum, mutata veſte, communem Eccleſiæ mœrorem luctumque teſtari. Neque ſane immerito: commemoratur enim nobis hodie, Salvatoris noſtri mors acerbiſſima: proponitur ante oculos crudeliſſimum divinæ Crucis ſpectaculum: indigniſſima Dei filii Paſſio celebratur. Cujus quidem, tum magnitudo, tum acerbitas, tum indignitas, cum ad noſtram memoriam revocatur; quis hominum, obſecro, eſt tam immanis, tam ſceleratus, tam ab omni religione atque humanitate alienus, qui dolorem diſſimulare, atque à lacrimis temperare, umquam poſſit? Non enim nobis hodie amicus aliquis, non propinquus aut conſanguineus, non frater aut pater, non denique princeps aliquis civitatis, defunctus refertur; ſed totius naturæ autor & conditor, humani generis univerſi redemtor & parens, dignitatis ac ſalutis noſtræ inſtaurator & effector; verus denique ac naturalis Dei filius; à quo omnis vitæ noſtræ ratio incolumitatiſque dependet, in quo ſpes noſtra omnis eſt ſita, per quem, & quæcumque habemus accepimus omnia, &, quæcumque ſperamus, accepturi ſumus. Hic, inquam, nobis, hodierno die, defunctus refertur;

hic mortuus celebratur; hic deploratur exſtinctus. Neque vero naturali, ut plerique homines, morte deceſſit, ſed violenta ereptus eſt; neque etiam quacumque, ſed turpiſſima, abjectiſſima, indigniſſima Crucis morte multatus eſt. At meritas fortaſſe ſuorum ſcelerum pœnas dedit? immo vero, pro noſtris flagitiis, pro noſtris criminibus, pro noſtra turpitudine, cum ipſe innocentiſſimus eſſet, neque quidquam aut admiſiſſet umquam aut admittere potuiſſet, ultro ſe cruciandum occidendumque exhibuit. Quæ quidem cum à nobis audiuntur, cum leguntur, cum celebranda proponuntur, quo tandem animo eſſe debemus, Beatiſſime Pater? quo pacto dolorem diſſimulare, quomodo lacrymas continere poſſumus? quo vero ingenii flumine, qua copia dicendi, quanta vi eloquentiæ, ad explicandum divinæ Crucis myſterium, opus eſſe cenſemus? Non enim nunc aut Gavianam crucem, ut Tullius; aut Cæſaris necem, ut Maro; aut Principis alicujus mortem, ut veteres ſæpe fecere, deploramus aut deſcribimus: ſed eam Crucem, in qua Chriſtus, Rex regum, Princeps principum, verus Deus, Deique filius, ab iis ipſis, quos creaverat, quos legibus erudierat, quos innumeris beneficiis affecerat, quorum denique cauſſa factus homo, ad homines venerat, contra jus faſque omne crucifixus eſt. Quam quidem mortem, & cælum & ſol & ſidera & elementa & creata univerſa luxerunt. Hanc vero cum nulla vis eloquentiæ attingere, nullum ingenii acumen penetrare, nullius mentis amplitudo comprehendere aut complecti queat; & tamen ipſa diei celebritas, demandatique nobis officii neceſſitas, nos cogat non tacere: ab autore omnis ingenii, omnis eloquentiæ, initio dicendi, opem ſuppliciter implorabimus, ut, quod de ipſo ad ejus gloriam dicere ſtatuimus, de ipſius potiſſimum, quantum ipſe expedire novit, in nos munere ac liberalitate proveniat; &, qui ſuam ex infantium & lactentium ore laudem perficit, nobis, in ſuo nomine congregatis, de ſe aliquid non indignum dicere cupientibus, adeſſe dignetur. Quoniam autem & altiſſimum Crucis myſterium, & Chriſtum in Cruce pendentem hodie celebramus, ipſam potiſſimum hoc carmine Crucem venerabimur;

Suppli-

Supplicium ſervorum olim, nunc gloria regum,
Mors olim miſeris, nunc data vita reis,
Crux, ſolium, curruſque Dei, ſpes unica mundi,
Sis via, ſis noſtra porta ſalutis; Ave.

Cum univerſa Salvatoris noſtri vita, tum ejus in primis Paſſio, Beatiſſime Pater, nobis non modo exactiſſime cognoſcenda, verumetiam, quoad fieri poteſt, perfectiſſime imitanda eſt; ut, quemadmodum Chriſtus non ſolum præceptis nos ſaluberrimis erudivit, ſed ſanctiſſimis quoque exemplis inſtituit; ita nos, &, quæ docuit, fideliter retineamus, &, quæ geſſit, diligenter imitemur. Propterea enim docuit, ut ſciremus; propterea geſſit, ut ageremus. Quæ duo nobis per Moſen myſtice ſignificat, dicens: *Inſpice, & fac ſecundum exemplar, quod tibi in monte monſtratum eſt.* Quamquam autem univerſa ejus, ut dixi, vita, (quippe, quæ omni virtutum ac perfectionum genere conſummatiſſima fuerit) nobis perdiſcenda atque imitanda eſt; ejus tamen in primis Paſſio, quæ cumulum quendam virtutum perfectionumque omnium, utpote poſtrema ejus vitæ pars, complexa eſt, nobis, cum in reliqua vita, tum hoc potiſſimum tempore, ad memoriam revocanda, & ad imitationem proponenda eſt; dicente Petro Apoſtolo: *Chriſtus paſſus eſt pro nobis, nobis relinquens exemplum, ut ſequamur veſtigia ejus.* Nam, ſi paupertatis exemplum quærimus, nudatum hodie Salvatorem, & omni terræ habitatione deſtitutum, in Cruce ſublimem, ipſum etiam caput ubi reclinet non habentem, conſpicimus. ſi pudicitiæ teſtimonium poſcimus, eum, Matrem virginem, virgini diſcipulo, commendantem, audimus. ſi obedientiæ formulam deſideramus, eum non modo Deo Patri, ſed peſſimis quoque ac viliſſimis hominibus, uſque ad mortem obſequentiſſimum intuemur. ſi liberalitatem in eo beneficentiamque requirimus, eum non lacrimas modo, ſed ſanguinem quoque ipſum, ſalutis noſtræ gratia, paſſim effundentem, immo etiam corpus atque animam, rerum omnium cariſſimam, ſaluti noſtræ donantem, cernimus. ſi clementiam in eo & animi magnitudinem poſtulamus, eum pro inimicis orantem, latronique ignoſcentem, videmus. Quæcumque denique virtus, quæcumque animi perfectio, aut

reperiri in homine aut deſiderari poteſt, ejus in Chriſti Paſſione clariſſimum nobis exemplum oſtenditur. Quæ quidem omnia ſi ego oratione proſequi vellem, nullus eſſet dicendi finis omnino. Sed, quoniam ego, apud ſapientiſſimum Pontificem, Senatumque doctiſſimum, verba facio, quem docere ex hoc loco nec poſſum nec debeo; ut demandatum mihi munus quoquo modo expleam, ex infinita illa virtutum multitudine, quas hodie nobis in Paſſione Salvator diſcendas imitandaſque propoſuit, quattuor tantum, quæ & ad cognoſcendum digniſſimæ, & ad imitandum aptiſſimæ, mihi viſæ ſunt, commemorabo: ſummam ejus Iuſtitiam, Caritatem ſingularem, inauditam Humilitatem, Patientiam incredibilem, vereque divinam. Neque etiam has ipſas univerſas explicabo: non enim omnia, aut ego dicere, aut tu, Beatiſſime Pater audire, umquam poſſes: ſed ex ſingulis pauciſſima tantum, & quæ optima & commodiſſima videbuntur, perſtringam. Tu, tua ſapientia, ex his, quæ dicam, cetera facile deprehendes.

Ac de Iuſtitia quidem dicere cogitanti, illud præfari libet, me de Chriſti virtutibus, non quidem abſolutiſſime, ut par eſſet, quaſi de divinis, (nam id quidem nemini mortalium arbitror poſſe contingere) ſed quaſi de humanis, leviter atque humano more locuturum. Atque in hac quidem virtute cum multa præclara atque admirabilia ſint, quæ in divinam laudem referri queant; illud in primis & maximum & maxima admiratione dignum occurrit, quod Deus hominem, à ſe creatum, in ſua poteſtate conſtitutum, ſibi à ſuo nequiſſimo ſervo verſutiis doliſque ſubtractum violenterque detentum, cum ex ejus manibus eripere jure ſuo & deberet & poſſet, redimere tamen ingenti pretio maluit. Quid enim, ut verum fateamur, juris in conditum paullo ante hominem Diabolus habebat? immo, cum ipſe, & ab eodem Deo paullo ante conditus, & ejuſdem Domini, vellet nollet, ſervus eſſet, quid in illum habere juris poterat? At peccaverat, inquit, homo, & ſeipſum Diabolicæ ditioni ſubdiderat. Primum ego hoc à te requiro, Diabole, (tecum enim mihi modo res eſt;) quis tibi hoc juris in hominem dederat, ut eum dolis præriperes, circumvenires, falleres?

An

An alienum eum ſervum eſſe neſciebas? Quæ tibi in alienum ſervum poteſtas? An te quoque ſervum, & ejuſdem Domini ſervum eſſe, non memineras? Debebat certe te id ſatis abundeque docere caſus tuus. Quod ſi es ejuſdem Domini ſervus, eique etiam tuo ſcelere inviſus atque odioſus eras, quæ tibi in alieno regno poteſtas? quod tibi in alienum ſervum, immo in tuæ ſervitutis ſocium, adhuc innocentem, ſuoque Domino parere cupientem, jus erat? Sed permittamus tibi, ut eum invidia & malignitate tentares, neque, unde tu cecidiſſes, ibi conſiſtere hominem patereris; fateamur, peccaſſe hominem, & ſupplicium meruiſſe: quis, obſecro, eum tibi puniendum cruciandumque tradiderat? quis te ejus delicti vindicem & carnificem fecerat? Nonne igitur Deus ſervum ſuum, in ſuo regno, à ſuo ſervo, per invidiam circumventum, diuque detentum, jure optimo ex ejus manibus eripere poterat, immo vero, etiam debebat? Quod quidem ſi feciſſet, quis poſſet aut, de eo, jure conqueri, aut eum injuſtum appellare? Noluit tamen jus ſuum in ſuos, ut poterat, exercere juſtiſſimus Deus; ſed officii plurimum apud ſe remanere placuit: &, quem ſibi ſuo jure vindicare poterat, eum redimere pretio perſoluto maluit.

Quam vero mirabiliter, quam decenter, quam cumulate redemit? Ita ut, neque hominum, neque angelorum quiſquam, non dico explicare aut ſcire, ſed ne cogitare quidem, tantam divini conſilii altitudinem umquam potuerit. Debebat homo pro ſeipſo ſatisfacere, ſed non poterat; poterat Deus, ſed non debebat. Hic attende ſummum conſilium, inſcrutabile ſacramentum, incomprehenſibilem divinæ providentiæ rationem. Conjunxit utramque naturam Deus ineffabili illo ac divino nexu; atque ita conjunxit, ut, quod eſt omnium mirabilium maxime mirabile, una in ambabus perſona conſiſteret; &, quod impoſſibile videbatur, unus atque idem pro univerſo humano genere ſatisfacere & deberet & poſſet. Quid, quod eiſdem rationibus, quibus delictum admiſſum fuerat, ne qua juſtitiæ pars deeſſet, ſatisfecit? Primus enim parens inobedientia atque elatione deliquerat, Chriſtus obedientia atque humilitate expiavit:

ibi mulier perditioni initium, hic mulier initium redemtioni dedit: illa peccato divinas exſecrationes, hæc innocentia divinas pollicitationes, ſive (ut vulgo dicere ſolemus) benedictiones, meruit: illa ſerpentis voce decepta eſt, hæc Angeli voce concepit: illa denique virum nocentem fecit, hæc filium peperit innocentem. Adam porro comedendo peccavit; Chriſtus jejunando peccata delevit: ille per letiferum interdictæ arboris lignum à ſerpente ſuperatus eſt; hic, per ſalutare ſibi oblatæ Crucis lignum, ſerpentem, acerrimum humani generis hoſtem, ſuperavit. Quid plura? ille ſibi & poſteris, ſua morte, mortem attulit; hic & mortuos & morituros omnes, unica ſua morte, liberavit; atque ita liberavit, ut æternam omnibus vitam beatitudinemque conferret. Quid, obſecro, in hac redemtione juſtius, ab ipſo etiam Diabolo, aut peti aut deſiderari poſſet? Quid, ſi ipſe pro tribunali ſederet, aliud vel ab homine vel à Deo ipſo poſtulare auderet? Verum hæc nobis, Beatiſſime Pater, profecit: nobis, inquam, hæc eſt collata juſtitia: nos, cum hæc ageret, Salvator adſpiciebat; nos erudiebat; nos ad ſuam imitandam juſtitiam provocabat. Cum enim ipſe talem ſe, in redimendo humano genere, etiam adverſus hoſtem ac ſervum ſuum Diabolum, exhiberet; qualis tu, ceterique Paſtores, in hoc grege ſervando atque alendo, eſſe debeatis, præſcribebat. Sed de Iuſtitia ſatis eſt dictum.

Venio nunc ad Caritatem, qua ipſe non modo mortales, ut in virtutibus aliis, ſed, quod incredibile dictu eſt, & ipſam Caritatem ſuperavit. Quamvis enim eam hominibus, ipſo ſuo adventu, ita oſtendiſſet, ut nulla major ei veniendi cauſſa videretur exſtitiſſe; quamvis eam in univerſo vitæ curſu ita omnibus declaraſſet, ut nemo ejus expers atque immunis eſſet: eam tamen, hodierno die, tantis tamque illuſtribus argumentis patefecit, ut, quæ antea fecerat, omnia nulla fuiſſe poſſes exiſtimare. Quale enim, obſecro, aut quantæ Caritatis fuit, quod, in ſuprema illa myſtica cœna, corpus & ſanguinem ſuum, novo quodam & ineffabili inſtituto, diſcipulis omnibus impertivit, atque ita impertivit, ut ad poſteros quoque omnes, incredibilis illa ſuæ divinitatis diffuſio & com-

municatio

municatio propagaretur! Magnum quidem fuerat magnæque bonitatis & Caritatis argumentum, hominem ſibi ſimilem creare, creato univerſa ſubjicere; majus, captum venumdatumque redimere; maximum, ejus gratia mortem ſubire. ſe vero ſingulis totum quotidie tractandum, veſcendum, immolandumque tradere, quo tandem Caritatis gradu ſtatuam? quantæ magnitudinis eſſe dicam! Deſunt, Beatiſſime Pater, tantæ rei explicandæ accommodata vocabula; deſunt ad ea excogitanda humani vires ingenii; vincitur ſermo, rei magnitudine: quidquid de ea vel dici lingua vel mente comprehendi poteſt, multo re ipſa minus atque inferius eſt. Quamquam autem, in hac virtute, multa præclara atque admirabilia ſunt, quæ ego, tum quia tibi nota eſſe arbitror, tum quia ad cetera propero, ne te diutius detineam, conſulto relinquo; illud tamen ſilentio præterire non poſſum, quod Salvator proditorem ſuum, quem & antea noverat & aliis indicaverat, ut à ſcelere revocaret, eodem, quo ceteros, ſuæ divinitatis munere impertivit, moxque ad ſe cum militibus, ut oſculo proderet, venientem, non modo non eſt averſatus, ſed blandis quoque vocibus appellavit, & benigna fronte ſuſcepit. O novam inauditamque Caritatem! ô ingentem humanæ ſalutis ardorem! quis hoc factum umquam, poſt hominum memoriam, aut audivit aut legit? quis fieri ab homine poſſe exiſtimavit? Proditurum ſciebat; & convivam eſſe patiebatur: inviſum ſe illi noverat; & ei ſe ultro ingerebat: videbat prodentem; & amicum appellabat. Tu vero, iniquiſſime ac perfidiſſime Iuda, tam multis, tam claris ejus in te amoris ſignis argumentiſque perſpectis, quo tandem animo rem tantam aggredi, tantum ſcelus concipere, tam impium facinus audere, tam dirum nefas perpetrare potuiſti? Num tui officii, cum hæc faceres, memor eras? Num tuæ vitæ ſalutique proſpiciebas? Num ejus in te benevolentiæ meritorumque memineras? Sed, ut tunc illo collegio, ita nunc hoc Pontifice, hoc Senatu, indignus es. Redeo igitur ad Salvatorem. cujus quidem dum ſingulas ab eo res hodierno die geſtas contemplor, nihil invenio, in quo non ejus caritas ſingularis eluceat. Quæritur à militibus, & ſeipſum indicat: inven-

tus, iterum quæritur, & iterum quærentes ſe docet; proſtratos erigit; incitat trepidantes; capientes hortatur; curat vulneratos: diſcipulos à ſui defenſione prohibet. Ductus vero ad Pontificem, & labentem Petrum confirmat, & verberantem miniſtrum coarguit; &, quis ipſe ſit, intrepide confitetur. Quæ quidem omnia, ab uno eodemque Caritatis fonte procurrunt, ab incredibili noſtri liberandi ardore proficiſcuntur. Sed ſingula proſequi oratione non poſſum: extrema tamen illa, quæ in Cruce poſitus geſſit, tacere non valeo. Pendebat in Cruce, manibus pedibuſque confixis, omnium naturarum conditor, omnium ſeculorum princeps, omnium mortalium ſalus: utrimque latronibus ſtipatus erat. hinc eum Scribæ & Phariſæi, maledictis & convitiis, inſectabantur; hinc vulgus ei dira imprecabatur; inde milites ei certatim illudebant. Inter hæc ludibria, inter hos cruciatus, quæ vox ejus audiebatur? *Sitio.* Quæ, inquam, vox ejus audiebatur? *Pater, ignoſce illis; quia neſciunt, quid faciant.* Quid ſibi, obſecro, iſtæ voces volunt? quid hi clamores, Beatiſſime Pater, ſignificant? In Cruce pendet; & de ſiti cogitat: vix animam tenet; & potum affectat: de morte certiſſimus eſt; & vitam ſuſtentare deſiderat. Profecto non hoc ſitit, non hoc affectat, non hoc deſiderat. Quid igitur ſitis, fons inexhauſte, qui, te univerſam omnium ſitim, tua illa perenni & in vitam æternam ſcaturiente lympha, in perpetuum exſtincturum, es pollicitus? Noſtram profecto ſalutem ſitis: noſtram redemtionem affectas: noſtram reconciliationem incredibili ardore deſideras. Altera vero vox illa, quæ veniam hoſtibus implorat, quantæ, obſecro, caritatis eſt? Magnum eſt profecto, inimicum non odiſſe: multo majus, amare: quid, beneficiis proſequi? Hoc qui faciat, non ego hunc ſummis viris comparo, ſed ſimillimum Deo judico. Poſtremo vero, dulciſſima illa Matris & diſcipuli commendatio, quam vehementem, quam caſtum in utrumque amorem indicat! exhalabat animam, & Matris ac diſcipuli curam non remittebat: ſeipſum non curabat, & de ſuis ſollicitus erat. O inauditam pietatem! ô caritatem incredibilem, vereque divinam! ô rem omnibus filiis, omnibus amicis imitandam! Nullum officii genus Sal-

vator

vator noſter in quemquam prætermiſit: nullum in omnes perfectæ caritatis indicium non exhibuit; adeo, ut alteri è latronibus, veniam poſtulanti, in extremo ſpiritu poſitus, beatitudinem largiretur. Quid hoc majus, quid admirabilius cogitari poteſt, ut eum, qui vitam in ſceleribus conſumſiſſet, ibique ad ejus ignominiam eſſet collocatus, orantem exaudiret, ſe commendantem ſuſciperet, veniam poſtulantem, non modo venia, ſed gloria quoque & immortalitate dignum judicaret? Hæc Salvatoris noſtri caritas eſt, Beatiſſime Pater: hæc ejus inſtitutio, nobis, non modo plurimis & clariſſimis ut vides exemplis, ſed præceptis quoque frequentiſſimis atque artiſſimis, commendata. Hanc nos, ſi Chriſti memores, ſi imitatores, ſi denique Chriſtiani, eſſe volumus, & inter nos fideliſſime retinere & uſque ad inimicos extendere ac propagare debemus.

Sequitur Humilitas, virtutum omnium præſtantiſſima, Chriſtianis hominibus maxime propria, veteribus pæne ignota. Eam enim Chriſtus, non modo vivens ac moriens, & ſervavit & docuit, verumetiam naſcens ex materno utero ſecum attulit. Ante omnia enim divinæ naturæ ſublimitatem, uſque ad humanæ fæcis abjectionem depreſſiſſe, quantæ, obſecro, humilitatis fuit! quis poteſt hoc verbis proſequi? quis mente aut cogitatione concipere? Venturus porro ad homines homo, virginem quidem, ſed humilem, ſeni pauperi deſponſam, matrem deligit. Naſcitur Rex omnium ſeculorum, non in regia aliqua vel civitate vel domo, ſed in humili obſcuroque oppidulo; in ſordido atque immundo jumentorum ſtabulo. Excipitur, non ab ingenti ſervorum multitudine, in auro & purpura, ſed à ſola Matre, in fœno, vilique palliolo. Omitto infantiam ejus & pueritiam, in fuga, exſilio, & trepidatione tranſactam. Taceo adoleſcentiam, parentum inopiæ imperioque ſubjectam. Non explico reliquam vitam, in ſumma paupertate, ſine ſervis, ſine domo, ſine pecunia, nunc in navi, nunc in ſolitudine, tum inter piſcatores, tum inter publicanos & infames homines, magna ex parte traductam. Prætereo de induſtria labores, contumelias, jurgia, ludibria, & innumerabilia pæne vitæ pericula; quæ mortalibus erudiendis perpeſſus

perpeſſus eſt. Paſſionem enim nunc ejus, non vitam narro: neque volo te, Beatiſſime Pater, noſtra diutius oratione detinere. Venio ad ea, quæ noſtræ inſtitutionis propria ſunt. Moriturus Dei filius pro mortalium omnium ſalute, non humillimum obſcuriſſimumque oppidulum, ut naſcens, ſed illuſtriſſimam totius Iudææ civitatem, in medio pæne terrarum conſtitutam, toto orbe notiſſimam clariſſimamque, delegit; ut, quos ejus ortus latuerat, obitus ſaltem non lateret. Num ſuam ſuorumque, cum id faceret, infamiam timuit? immo vero, appetiit. Num de eorum, quos docuerat, quos ad ſe converterat, fide aut conſtantia dubitavit? immo, ita demum confirmari arbitratus eſt. Quo vero pacto Hieroſolymam moriturus intravit? quaſi ad triumphum, non ad mortem, accederet. Intuere, quæſo, Beatiſſime Pater, atque oculis ſubjice, triumphantis Salvatoris ingreſſum. Inſidet, non albis quadrigis, auro purpurave conſtratis, ſed viliſſimæ aſinæ, brevi diſcipulorum pallio velatæ. Præcedunt eum, non Senatorius atque equeſter ordo, Imperatorem collaudans, ſed innocens puerorum turba, *Hoſanna* clamantium. Subſequitur, non armatus exercitus, ſed imbellis mulierum diſcipulorumque multitudo. Hic eſt noſtri Imperatoris ingreſſus; hæc pompa triumphantis. Quid Cœna illa Paſchalis? quam parca! quam moderata! quam humilis! Quid illa poſt Cœnam pedum lotio? quantam nunc etiam audientibus admirationem affert! Surgit à Cœna, Deus occultus, homo manifeſtus; humilitate & majeſtate pari; deponit pallium; linteo præcingitur; aquam poſcit; ad ſingulorum ſe diſcipulorum pedes ſubmittit; lavat ſingulos diligenter; inter quos etiam à proditore non abſtinet. O inauditam omnibus ſeculis Humilitatem! ô virtutem mortalibus antea prorſus ignotam! ô rem, admirandam omnibus, paucis imitabilem! Quis hoc Regum, quis Principum, immo, quis mortalium omnium, ante id tempus, aut facere aut cogitare umquam potuit? Exprimere animus verbis admirationem tantam non poteſt; non poteſt tantam Humilitatem lingua mortalis explicare. Sed, dum in his hæreo, quaſi hæc maxima ſint, majora non video. Quid enim lotos diſcipulorum pedes commemoro? Vide, quæſo,

quæſo, Beatiſſime Pater, eum, ſe ad oſculum uſque proditoris inclinantem: vide eum, ſe hoſtibus capiendum, ligandum, irridendumque ultro permittentem: vis videre, quam ultro? proſtratos ab eo unica voce tot armatos milites, atque ab eodem erectos confirmatoſque conſidera. Vide, inquam, quam ſubmiſſe Pontifici maximo Sacerdotibuſque reſpondeat, quam humiliter cum Prætore colloquatur, quam ſerviliter inter milites commoretur. Quæ quidem omnia, ne te morer, conſulto prætereo. Illud, quod Humilitatis caput eſt, præterire nullo modo poſſum; quam abjectum, quam ignominioſum, quam vile, pro mortalibus, mortis genus elegerit. Crux olim fugitivis tantum & ſervis, aut furibus & latronibus, parabatur: at hanc potiſſimum humani generis Redemtor, omnis Humilitatis autor, ne quiſquam eam in poſterum horreret, aſſumſit; atque ita aſſumſit, ut nullum in ea probrum, nullam ignominiam, nullum dedecoris aut ludibrii genus declinaret. Pendebat ſublimis in altiſſima Cruce, Dei filius, cæli terræque parens ac Dominus, omnium ſeculorum ac gentium Rex & Princeps ſempiternus: pendebat, inquam, in celeberrimo terrarum emporio, in clariſſima Iudææ civitate, in editiſſimo Calvariæ vertice, ubi de damnatis ſupplicium ſumi mos erat. Pendebat vero, inter duos latrones conſtitutus, ſpectante Matre, ſuiſque omnibus, ſpectante ingenti Iudæorum ceterarumque gentium, quæ eo convenerant, multitudine. Ne quid vero ad ignominiæ cumulum humilitatiſque deeſſet, maxime ſolemni totius anni die imminente, Cruci affigi voluit. Quid, obſecro, humilius, quid ignominioſius excogitari potuit? Vt nos, & ab æterna ſervitute liberaret, & Deo ſubjectos, noſtræ ſalutis gratia, redderet; ſervilem, atque abjectam mortem, libertatis autor ſubire non dubitavit. O mira, ô incredibilis Salvatoris manſuetudo! ô divina ineffabiliſque benignitas! Vt ex ſervis liberos ac beatos faceret; Deus, & ſervus & miſer effici non dubitavit. Hæc eſt illa Humilitas, quam ipſe nobis in Euangelio tam ſæpe commendat; quam ſuo exemplo tantopere diſcendam nobis imitandamque proponit. Hæc eſt, quæ & Deum è cælo advexit in terram, & hominem è terra in cęlum evectura eſt. Sed de Humilitate ſatis.

Huic

Huic conjuncta patientia eſt: quæ una, ex iis, quas propoſuimus, virtutibus eſt reliqua. De qua quidem, quoniam multa jam, cum de Humilitate ageremus, ſunt dicta, & ego ad finem propero, (video enim me jampridem abuti benignitate tua, Beatiſſime Pater,) quædam quæ ejus virtutis propria ſunt, paucis abſolvam. Nam, ut omittam, quam multa in tota vita omnis generis incommoda, probra, pericula, & quam patienter, Salvator pertulerit; qualem ſe, cum à militibus caperetur, cum ad Sacerdotum principem duceretur, cum ab illo interrogaretur, exhibuit! quam multis eum contumeliis, jurgiis, ludibriis, ab inimica atque invida & odium explere cupiente multitudine, affectum fuiſſe exiſtimas? Videre videor crudeliſſimos homines, omnem feritatis atque inſaniæ vim, in unum certatim effundentes. Alii enim eum rapere; alii poſt tergum ligare manus; alii vultum colaphis cædere; alii pectus ac renes verberare; hi hominem ſputis fœdare; illi jurgiis ac maledictis inſectari; ipſe tamen omnia patientiſſime perferre ac pati. Prô nefas! ubi manſuetudo? ubi ratio? ubi lex? ubi ordo naturæ? Capitur inviſibilis, tenetur inpalpabilis, ligatur incomprehenſibilis, trahitur immutabilis: &, qui nullam vim ſentire poteſt, ab omnibus paſſim verberatur, conſpuitur, cæditur: & tamen nullam in quemquam vocem emittit: immo omnia non modo patientiſſime, noſtra cauſſa, verum etiam libentiſſime, tolerat. Verum hæc parva admodum & exigua ſunt. Quid, quum prætorianis militibus traditus atque in prætorium ductus eſt; quam multa, bone Deus, quam indigna, quam nefaria perpeſſus eſt! Propone tibi ante oculos, obſecro, Beatiſſime Pater, Deum ipſum, mundi autorem, totius naturæ parentem, hominum creatorem, ſalvatorem, redemtorem, ab iis ipſis, quos creaverat, quos redemturus venerat, captum, vinctum, accuſatum, damnatum, irriſum, conſputum, verberatum: propone tibi, inquam, Regem ſeculorum, cæli terræque Principem, futurorum bonorum Pontificem, tabernaculum non manu factum, inter ſceleratiſſimos milites conſtitutum, ſpinis coronatum, coccino indutum, ab aliis per ludibrium Regem ſalutatum, ab aliis pulſatum arundine, ab aliis omni maledi-

ctorum genere laceſſitum, omnibus denique injuriis contumeliiſque expoſitum, omnia tamen æquiſſime ac manſuetiſſime tolerantem. Sed parum dico, cum Deum ab hominibus hæc omnia perpeſſum eſſe dico. Non eſt tantis injuriis expleta crudelitas: non eſt impietas ſatiata: immo non niſi hauſto demum divino ſanguine ſatiari poteſt. Nudatur ergo decorum Chriſti corpus; & membra, etiam Angelis verenda, coram ſceleratiſſimis hominibus deteguntur. Ligatur ad columnam manſuetiſſimus agnus; atque à validiſſimis crudeliſſimiſque militibus diu, omni ex parte, virgis duriſſimis cæditur. Prô dolor! cædebatur virgis in medio Hieroſolymæ foro, à ſceleratiſſimis hominibus, innumerabili ſpectante multitudine, Salvator mundi: & tamen nulla, inter crepitus doloremque plagarum, ejus omnino vox audiebatur. O invictam Patientiam! ô manſuetudinem incredibilem! Ego quidem, eam quibus verbis exprimam, non reperio. An nondum tua, Iudæe impie, ſatiata crudelitas eſt? Ego quidem hæc ſine multis lacrimis referre non poſſum: tu ea ſiccis oculis ſpectare potuiſti? ego, hæc ore pronuntians, ingenti pudore afficior: tu, cum ea tuis manibus perpetrares, non erubuiſti? Sed, quid eos non erubuiſſe, aut non commotos eſſe, conqueror? utinam, utinam iis cruciatibus eorum contenta fuiſſet impietas: utinam ſe his crudelitatis finibus eorum ſævitia continuiſſet. Verum non, niſi viſa demum nece, novit feritas inſana conſiſtere: non, niſi ad internecionem ſæviat, poteſt odium crudele ſatiari. Quid igitur tibi ultra petendum, quid faciendum reſtat, impietas? *Crucifigatur, crucifigatur*, inquit. O vox impia! ô perverſa voluntas! ô feritas inexplebilis! Facinus eſt, vincire Deum; ſcelus, ludibriis afficere; parricidium, virgis cædere: quid dicam, in Crucem tollere? Verbum ſatis dignum, quo tam nefariam rem appellem, Beatiſſime Pater, non reperio. Tollitur igitur in Crucem, plagis innumeris affectus, & cruorem toto corpore manans, patientiſſimus Ieſus: manus pedeſque, vix reliquo corpori, præ multitudine plagarum, hærentes, clavis duriſſimis confodiuntur: hiat undique vulneribus; totus doloribus, & cruciatibus deficit: & tamen iis omnibus Iudæorum impietas adhuc contenta

contenta non eſt ; inſultat etiam confixo ; maledictis & amariſſimis verbis illudit : *Alios, inquit, ſalvos fecit, ſeipſum non poteſt ſalvum facere.* Lacrimas, cum cæderetur, paullo ante, non tenebamus : quid nunc, cum Cruci affixum cernimus, facere tandem debemus ? Si hæc non ad Pontificem clementiſſimum, non ad religioſiſſimum Senatum, non ad Chriſtianos fideliſſimos ; denique, ſi non ad homines, ſed ad beſtias ; &, ut longius progrediar, ſi hæc non Romæ, ſed, in aliqua deſerta ſolitudine, ad ſaxa & ſcopulos loqui & deplorare vellem, nonne & muta & inanimata omnia, tanta ac tam indigna rerum atrocitate, commoverentur ?

Quali igitur nos in Salvatorem noſtrum animo eſſe debemus ? Propone tibi nunc, Beatiſſime Pater, immenſum, clavorum manus ac pedes trajicientium, dolorem ; propone pendentis cruciatum : imaginem confixi parumper intuere. Erat inter latrones medius, in altiſſima Cruce confixus, Dei filius : hinc à Matre & à diſcipulis deflebatur ; inde à ſacerdotibus & ſcribis lacerabatur : milites eum potus amaritudine cruciabant ; latro vocibus inſectabatur : inſcriptio, ludibrium doloremque augebat: vulgus de eo varie loquebatur. Inter hos dolores, inter hæc tormenta, quæ nam, obſecro, voces illius erant ? num quemquam accuſavit ? num coarguit ? num, ea ſe inique ferre, num, illis iratum eſſe, oſtendit ? Minime. Quid ergo ait ? *Pater, ignoſce illis : quia neſciunt, quid faciant.* O vox ſummæ patientiæ, ſummæ clementiæ, ſummæ manſuetudinis ! Cum innocentiſſimus ſis, te à ſceleſtiſſimis hominibus, contra jus faſque omne, comprehendi, vinciri, accuſari, damnari, corripi, cædi, atque in Crucem agi, permittis. tu vero hæc omnia, non modo patientiſſime toleras, verum etiam, ut ea illis condonentur, affectas. Illi te accuſant, tu eos excuſas : illi damnant, tu conaris abſolvere : illi exſecrantur, tu bene precaris : illi tibi necem inferunt, tu pro eorum vita Patri ſupplicas. Quid, obſecro, ad hanc manſuetudinem, ad hanc patientiam, addi poteſt ? immo, quibus hæc verbis, non dico extolli, ſed æquari aut pronunciari, ſatis queunt ? Nullus eloquentiæ fluvius, nulla vis dicendi, nulla humana vox, nulla mortalis lingua, hæc conſequi umquam poſſet. Vbi

mare

mare illud eloquentiæ Tullianæ? ubi torrens fluvius Demoſthenis? Nunc profectò muti eſſetis ambo; & veſtra lingua torpeſceret. Qua vero de cauſſa tot dolores, tot cruciatus, tam indignam necem, ille, qui tam innocens eſt, Deus, ut pateretur, adductus eſt? Noſtra profectò cauſſa, noſtra, inquam, cauſſa, Beatiſſime Pater, ut hæc omnia pateretur, adductus eſt. Noſtra ſcelera, noſtra flagitia, eum in Crucem egerunt: nos omnium dolorum, omnium cruciatuum illi autores ſumus: nobis comprehenſus, nobis accuſatus, nobis damnatus, nobis cæſus, nobis denique in Crucem actus eſt. Quid vero à nobis exigit, Beatiſſime Pater? niſi id, quod nobis maxime expedit; quod nos ultro illi offerre deberemus: ut ſobrie, caſte, & pie vivamus: ut fidem, juſtitiamque ſervemus: ut ejus & præcepta fideliter retineamus & exempla conſtanter imitemur. Quæ quidem omnia, ſi volumus, neque nos ipſos valde amamus, & facillima nobis & commodiſſima ſunt.

Obediamus igitur, Beatiſſime Pater, Deo, nobis tam juſte, tam benigne, tam utiliter imperanti. Tam multa pro nobis & tam patienter tolerantem, quoad poſſumus, imitemur. Servemus in proximos atque æquales, quam ipſe non dubitavit in ſervum atque hoſtem ſervare, Iuſtitiam. Caritatem, quam ipſe uſque ad inimicos extendit, omnibus veram ſinceramque exhibeamus. Neque pudeat nos, cum homines ſimus, hominibus miniſtrare, quando etiam Deus ipſe hominibus miniſtravit. Nec, obſecro, pauperes atque humilis fortunæ homines faſtidiamus; cum Salvator ipſe, & pauperrimus & humillimus ſemper fuerit. Remittamus adverſariis noſtris injurias; cum ſciamus, illum pro inimicis atque interfectoribus ſupplicaſſe. Quæcumque denique acciderint adverſa, æquo animo toleremus: cum illum tam multa, tamque indigna, noſtra cauſſa, perpeſſum eſſe, meminerimus. Quæ quidem omnia ſi nos, ut debemus, & poſſumus, præſtiterimus; & Chriſtus ſuæ Paſſionis ampliſſimam gloriam, & nos noſtræ imitationis fructum uberrimum & cumulatiſſimum reportabimus.

DIXI.

LIPPVS AVRELIVS BRANDOLINVS, AVGVSTINIANVS EREMITA,

B. P. AC DOMINO NOSTRO ALEXANDRO VI, PONT. MAX.

Salutem in Domino & felicitatem dicit.

CVM apud B. tuam, proxime in Paraſceue, Orationem de Salvatoris noſtri virtutibus habuiſſem, tu eam, pro tua ſingulari benignitate, & tunc abſente me & poſtea præſente, tibi ita placere oſtendiſti, ut mihi, & per nuntios & coram, gratias non ſemel ageres. Quod quidem quantæ humanitatis ſit, ut tantus Pontifex, Chriſtianæ religionis Princeps, Chriſti in terris Vicarius, humillimum atque indigniſſimum hominem audiat, collaudet, accerſat, gratiis proſequatur, dici oratione non poteſt. Quibus quidem rebus tametſi ego indignus ſum, gaudeo tamen, mihi potiſſimum contigiſſe, ut in me tanta tua manſuetudo eluceret. Cupiens itaque tuæ Beatitudini meum animum aliquo, vel levi, officio ſignificandi, & tenuitatis meæ conſcius, cum neque haberem quod offerrem, neque vellem vacuus ad ſanctiſſimum tuum conſpectum accedere; eam ipſam, quam habueram, Orationem tuæ Manſuetudini legendam obtuli: ratus, me tibi rem non ingratam facturum, ſi, quod tibi ſemel auditum quaſi eminus placuiſſet, cominus legendum atque habendum traderem. Neque dubitavi, ne, exacto jam ſuo tempore,

tempore, gratiam novitatis amiſiſſe oratio videretur; cum ſoleant, quæ ſemel placuerunt, etiam repetita non diſplicere, & tuæ Beatitudini oblatæ res ſacræ, ut hoſtiæ, quæ Deo offeruntur, ſemper tempeſtivæ ſint. Neque etiam maximi tui aut acumen ingenii aut ſeveritatem judicii veritus ſum, quod plerique ſcriptores vereri ſolent; cum quaſi vadem habeam teſtimonium ac præjudicium tuum, nec putem, quod ſemel placuit, diſplicere jam poſſe. Accipe igitur exiguum quidem, & tua magnitudine indignum, munus, ſed noſtri erga te optimi animi certiſſimum pignus, noſtræque ſervitutis quaſi validiſſimum autoramentum: eoque animo noſtram hanc oratiunculam accipe, quo Deus duos vetulæ obolos dicitur ſuſcepiſſe. Cum enim Principes dare magis deceat quam accipere, quippe qui dando beatiores ac Deo ſimiliores fiant; ſi quid ipſi ab aliis accipiunt, ipſius Dei exemplo, & dantis animum debent librare, non munus, & pro exiguis maxima ampliſſimaque referre. Quarum rerum ſi ego à tua Beatitudine alteram impetravero, ut ſtudium atque animum noſtrum non ſpernas, utramque me impetraſſe exiſtimabo. Cum vero aliquid otii nactus fuero, ut me ad ſcribendum referre queam, dabo operam, ut intelligas, quantum tibi debeam, quantique ſemper tuam Beatitudinem fecerim. Tu interea Chriſtianam Rempublicam, ut facis, & defende & ſerva; noſtræque exiguitatis, cum licet, te memorem eſſe non pigeat. Vale.

IACOBVS GORSCIVS STANISLAO GORSK CANONICO ECCLESIÆ CRACOVIENSIS MECOENATI SVO, S. P. D.

*ORationem Aurelii Lippi, q
mihi Reverenda Paternitas tu
piam fecit, perlegi diligenter. Q
quidem orationem utrum argu
ti gravitas an elocutionis ſpl
plus commendet, haud facile dictu fuerit. N
quam equidem ego, in hoc genere, nec verbis
tiorem nec argumento graviorem, nec pieta
ſtructiorem, nec lectore Chriſtiano digniorem
tionem legi. Nam, ſi verba ejus totaque elo
di & elegantia & copia ſpectetur, non ab
lio Lippo, ſed à M. Tullio; ſi materiam
gumentum, non ab homine noſtri temporis,
eſſe videbitur. Nam & pectus, non human
ctrinis inflatum, ſed ſpiritu Dei ac pieta
num; & linguam non luxu verborum tum
jactantia, ſed oratione pura, caſta, & el
inſtructum præ ſe fert Aurelii. cui viro, n
tatis ſtudia nec dicendi puritas atque elega*

tio defuerit. Quæ cum viderem, nolui, nec lectorem pium, nec adoleſcentem dicendi ſtudioſum, ejus lectione fraudare. ſed mox cum noſtro Lazaro typographo, viro optime, de Repub. Chriſtiana & litteraria, merente, egi, ut eam quamprimum typis excuſam in publicum daret. Quod ille, ob eas ipſas cauſſas, quibus ego adductus ſum ut ſecum ea de re agerem, non gravate ſuſcepit. Quæ quidem oratio, quoniam opera tuæ Reverendæ Paternitatis ab interitu conſervata, T. R. P. poſt Aurelium, à quo ſcripta eſt, alterum autorem merito agnoſcit, tuæ R. P. ſub nomine in publicum merito prodit. Bene valeat R. P. T. &, conſervandis hujuſmodi ingeniis hominum, non defatigetur. Datum ex ædibus noſtris Collegii majoris, in Academia Cracovienſi, Kal. Iunii, Anno Chriſti nati CIƆ IƆ LXI.

HERMOLAVS BARBARVS LIPPO BRANDOLINO

S. P. D.

COgnitus mihi pridem fama Lippus. extemporalis in homine facundia. oratione tam proſa, quam verſu, clarus. urbanitas in eo tanta, ut nec lepor in diſſerendo, nec candor in judicando, deſiderari poſſe videatur. Numquid te non delineo? non ad unguem exprimo? An, quia procul ab Vrbe ſum, propterea contueri te non poſſum? aut auris plerumque non oculi vice fungitur? Iam epiſtola, quam nuper ad me de honoribus meis ſcripſiſti, ecquid non ejuſmodi eſt, ut in ea conſpicari totum te mihi liceat, qualis ingenio, quantus eruditione, ſis, velut in ſpeculo reluceat? Nihil iſta contemplatione certius optari poteſt: ipſa frons, ne inſpectoribus quidem ſemper comperta, fallit; imago mentis, & animi monumenta, numquam. nam & tu me de Themiſtio noviſti.

noviſti. utinam, tam feliciter, ut falli potueris. Sed ignoſce tamen: adoleſcens, atque adeo puer, ea cœpi vertere, cum tu me Neapoli deſidentem vidiſti. Quamquam Bembus noſter, humanitatis flos, politiarum pater, homo cum doctrina tum morum elegantia viſendus, ita de me ſentit, ita prædicat, ut neceſſe ſit prorſus ei credere. Hæc eſt ſapientiæ proprietas, ut, qui ſapientibus viris placent, ipſi quoque ſapientes habeantur. Vtcumque ſit; jacta eſſe inter nos amicitiæ magnæ fundamenta, video. Ipſe de te, non ſolum bene, ſed vere ſentio: tu item de me non peſſime. hæc ſunt benevolentiæ futuræ quaſi ſemina rudimentaque. Reliquum eſt, ut alamus hæc initia mutuis operibus. Imbecilla ſunt in omni genere primordia. niſi communiantur, foveantur, colantur, facile diſſipari conſueverunt. Vale. Venetiis, Kal. Febr. CIↃ CCCC LXXXVII.

FINIS.

BIBLIOTECA VITTORIO EMANUELE ROMA

Digitized by Google

Digitized by Google

[illegible] by Google